Z.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III

XVI
A
59
NAPOLI

XVI.
a.
59.

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

PASCASII JUSTI Eclovienſis, Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris

ALEA,

Sive de curanda ludendi in pecuniam cupiditate,

LIBRI II.

Quibus omnis graviſſimæ & ignotæ uſque ad hoc tempus affectionis natura, cauſæ & effectus, tanquam immanis & ſævi alicujus morbi, ſicut & remedia, elegantiſſime explicantur.

Quiſquis es, & ludi damnoſi captus amore
Ureris infelix : Me lege liber eris.
Nec refer, ut Divos jurans, ut fœdera rumpens
Ludis adhuc, ludens teque Deoſque malus.
πᾶν λόγ© ἐξαιρεῖ : Deus ille eſt. Pectoribus Rex
Hunc ſequere : hic Divos vincit, & hic animos.

mpliſſimo & Eruditiſſimo viro,

STO TURCÆO,

lico, & Bergobzomanæ urbis Conſuli graviſſimo,

RCUS ZUERIUS BOXHORNIUS

S. P. D.

Um ſuperiore anno, caniculæ æſtu, anniverſarium nobis otium facien-l te veniſſem, Vir ampliſ-,tum ut tui, amici veteris, ut dulciſſimæ patriæ, cu-egundæ ornandæque cu-bi inprimis eſt demanda-pectu me oblectarem; ea

humanitate exceptus ſum, ut nihil majoribus officiis aut benevolentia fieri poſſe judicarem. Quod in hujus libelli aditu agnoſcere, haud abſurdum eſt, cum ea occaſione factum ſit, ut de repetenda ejus editione ageremus. Meminiſti enim, inter alios atque alios, ſemper autem eruditos tuos, ſermones; qui poſt annorum aliquot ſilentium, aut abſentiam, ferè eſſe ſolent jucundiores; eum, quem pernox Alea, procul à fritillo, in Bibliotheca tua, ſuggeſſerat, ad meridiem uſque, ut cum Varrone nunc ſic loquar, noctis aliquando nos detinuiſſe. In

quo

quo ab aleatorum more tum non deflexímus, qui non diurna tantum, ſed nocturna etiam, ſemper autem indefeſſa manu,in illo unius fritilli campo,non aliis inſtructi armis, quam talo, & ſingulari certamine commiſſi, ſi non alio nomine, ſaltim iſto vigilantiæ diligentiæque, ſeveriſſimorum etiam hominum judicio, veniunt commendandi. Et erat nonnulla nobis hic pugna, ſed qualis eſſe ſolet diſſentientium amicorum. In eo interim mihi tecum conveniebat; ut homines fortunæ ludus ſunt,& jocus, ita quamvis eorum ætatem in aliquo

exerceri; omnem illum vel in imitatione verſari, vel ab affectibus quibuſdam, quos animi morbos Sapientes, haud ſine cauſa, vocant, fingi ac impelli, avaritia, maximè, & ambitione. Et ſanè ita eſt, Juſte Turcæ, jucundiſſimè amicorum. Quam faceti in infantia imitatores omnium ſumus? quam egregii à naturâ facti Pantomimi? Quam primum repere deſiimus, tanquam aut cura nobis eſſet libertatis, aut in cunarum puparumq; noſtrarum exitium juraſſent Iberiæ Reges, armati quaſi & accincti, in arundine longa equitamus. Matrimonium etiam ini-

mus,

mus,nuper nati,& parentum, præceptorum, deniq; publica omnia, Regum quoque & Principum, nec interim rei majeſtatis, & privata munia uſurpamus. Nos, niſi fallor, hæc olim agebamus; & ſi primæ ætatis noſtræ ſcriberentur annales, non alia illos facinora implerent At verò non conſiſtimus intra metam innoxiæ imitationis. Alia enim, eaque in perniciem graviorem mox eruptura, ab affectibus, duobus inprimis, quos jam diximus, docemur. quæ cum ætate vires accipiunt,& plus nocent,& rariſſimo exuuntur. Vis ambitionem?

nem? Inſpice βασιλίνδαν, imperium & aulam puerorum.

At pueri ludentes, REXERIS, ajunt,
Si recte facis.

Et ſic ſenſim proficimus ad ambitionem. Cætera quippe ejuſdem generis alia, olim hodieque à pueris reperta, ac prima arrogantiæ noſtræ & contemptus aliorum incunabula, nunc prætermitto. Alea enim, amor ſemper & deliciæ propè omnium, ipſum avaritiæ regnum, hujus operis eſt argumentum. Cujus indomiti affectus vim pueri etiam ſentimus, & ludere ſimul cupimus,

mus, & aliquid lucrari; ea augendæ rei, & quaſi caſtrenſis peculii acquirendi cupiditate, ut ſortem ſæpè totam, parentum liberalitate aut amicorum acceptam, Par vel Impar feliciter dicturus permittamus. Et ipſe meminiſſe poſſum, ea temeritate, puerili omne poſſeſſione, quæ tum teruncîorum fortè ſeptem erat, uno momento olim fuiſſe me evolutum. Quam privatam cladem, illa ad Allias aut Cannas Romanis illata haud minorem, tunc interpretabar. Cæterum per hos gradus ad Alcam & veras clades itur. De quibus, quod plura hic dicenda

da non ſint, Paſcaſii Juſti, tui, Vir ampliſſime, proavi, & ingenio & judicio & doctrina exquiſita factum eſt. Quibus, ſicut & experientia, inſtructus, libris elegantiſſimis duobus, quos nunc tibi reddo, totam Epidimici, ut vos loquimini, ſcenam mali aperuit, & ipſum profligavit. Qui olim editi, & à plurimis expetiti, ac in publicum profuturi, nunc iterum, meo, &, niſi fallor, bonorum ac eruditorū omnium judicio, videre lucem debebant. Neque ſub alterius auſpiciis quam tuis. Qui majorum tuorum non tantum ſanguinis, fortunæ & honorum,

ſed virtutis quoque ſingulariſque doctrinæ, hæreditatem adeundam tibi judicaſti, & feliciter adiiſti. Vale, vir Ampliſſime & me amare perge. Lugd. Bat. cIↄIↄ CXLII, Kal. April.

VITA AUTORIS.

PAſcaſius Iuſtus, Eclovienſis, Flander, præclara familia natus, poſt adoleſcentiam in ſtudiis feliciſsime tranſactam ad peregrinationem animum appulit, & Galliam, Italiam, Hiſpaniam, aliaque Europæ regna perluſtravit, ob exquiſitam eruditionem doctis omnibus acceptus (ac ob mores ad omnem humanitatem & lucem hominum factus in aulas illuſtriſsimorum Principum admiſſus) Philoſophiæ & Medicinæ præcipuè operam addixit; & hanc, ex Italia redux, archiater Marchionis Bergobzomani exercuit feliciter adeo ut ad Guilielmum, Arauſiæ Principem, Antwerpiæ ſclopeto graviter læſum, evocaretur, ac ſanguinem è jugularibus ingenti copia profluentem inhiberet. Et inſigne gratitudinis illius Principis monumentum apud hæredes etiamnum ſervatur. Poſtea Alenconio duci inter archiatros adlectus eſt. Aleam vero admodum deperiit; perieruntque preces ejus & Vota, quibus illum animi morbum ut Deus tolleret, ſerio & frequenter optavit: Superſunt tamen ejus de Alea, ſive Curanda in pecuniam ludendi cupiditate, libri duo, longe elegantiſsimi, quos nunc damus. Floruit circa annum 1540.

Am-

Ampliſſimo Clariſſimoque viro,

MAXIMILIANO à Burgundia, Wackenæ & Capellæ Domino, Belgicæ Claſſis Imperatori, & Maris Præfecto,

PASCASIUS JUSTUS Eclovienſis Philoſ. & Medicinæ Doctor, *S. P. D.*

Vide quàm nos parentibus & patriæ natura conciliet. Anni ſunt duodeviginti, cum longè ſemper à patria abſens fui. Octo enim annos in Hiſpaniis, adoleſcens adhuc, apud præclarum virum Cardinalem Poggium, tunc ſummi Pontificis ad Hiſpaniarum Regem Legatum, à literis illi & ſtudiis, vixi: reliquos in Italia,

 Romæ,

Digitized by Google

Romæ, Bononiæ, Patavii, Ticini, nobiliſſimis bonarum Literarum Academiis, ſtudiorum cauſa peregi: neque interea magnum ſcilicet aliquod patriæ deſiderium me tenuit, aut ægrè unquam alienum ſolum & cœlum tuli. Nunc *verò, poſt tam longum tempus, etſi tanquam Vlyſſes, nemini meorum notus, domum redire poſſum: tamen ita me magna reviſendi parentes & patriam cupiditas invaſit, ſinguli ut dies, qui deſiderii & profectionis hujus ſpem & conſilium impediunt, anni mihi eſſe videantur. Quanquam credo etiam, quia quaſi defunctus eſſe quodammodo jam mihi videor, id ita fieri. Et, cum jam etiam per exiguum illud quidem,*

quidem, ſed tamen nec inutile, nec indoctum, diuturnæ peregrinationis meæ, & ſtudiorum quaſi monumentum quoddam in lucem edere ſtatui: illudq; partim propter argumenti de re vetere communique novitatem, partim propter emolumentum quod capere ex ejus lectione plurimi poterunt, (neque enim tam ingenioſum aliquod quàm ἠθικὸν *eſt Opus) multorum in hominum manus, ac Principum maximè palatia, & nobilium divitumque domus (quorum atria alveoli, latrunculi & tabellæ exornant, ac vario teſſerarum jactu & certamine trepido perſtrepunt) deventurum putem: nunquam in animum inducere potui (etſi mul-*

tos hic præſtantes dignitate & gloria viros, nec male de me meritos, familiariter novi, qui etiam hujuſmodi munus non aſpernarentur) alteri ut id, quàm patrio alicui Principi viro, ex communi doctorum virorum conſuetudine dedicarem, injuriam enim mihi facere patriæ viderer, (quæ, ut præclarè ſcriptum eſt à Platone, ortus noſtri partem ſibi vendicat) & gravem ingratitudinis ſubire notam, ſi non & ipſum me, & peregrinationis meæ fructum aliquem, ad ipſam aliquando referrem. Verùm hic ſi mihi vir primarius, ex omnibus unus eſt eligendus: quem tecum conferre poßim, habeo neminem. Nam & propinquitate

non

nonnulla mihi conjunctus es , ut ipſe annis abhinc aliquot , in Hiſpaniis cum eſſes, atque ad te ſalutatum officii cauſa tum venirem, humaniſſimè ſanè mihi ſignificaſti cujus equidem gratiæ, & multæ tunc in me delatæ abs te benevolentiæ memoriam , nunquam ſum ex animo depoſiturus. Et is tu vir es, qui non ſolùm prudentia ſingulari, eximia virtute, & clariſſima auctoritate , quæ tu omnia de te ipſo præſtas , præcellas : ſed etiam qui felici quadam, egregiaque fortuna, fati munere, præditus ſis : ac quod victurus habere Princeps debet , Genium habes. Vt rectè ſanè feciſſe judicandus ſit prudentiſſimus ille optimuſque Hiſpaniarum

Rex PHILIPPUS, *qui ſapientum illorum veterum exemplum & conſilium imitatus, te, cui cum prudentia & fide felicitas quoque ad amplitudinem & gloriam & res bene gerendas divinitus adjuncta eſt, dignum, quem Belgicæ claſſis Imperatorem, nunc etiam maris Præfectum conſtitueret, judicaverit: dignum etiam, cujus auſpiciis ipſe ſuam ſalutem, ſuperbos ingreſſus Oceani fluctus committeret (ut ejus quoque pater Imperat.* CAROLUS *antea feliciter fecerat) exiſtimavit. Ita enim Maximo, Marcello, Scipioni, Mario, & cæteris magnis Imperatoribus, non ſolum propter virtutem, ſed etiam propter fortunam,*

ſæpius

ſæpius Imperia mandata, atque exercitus commiſſos eſſe legimus. Quare etiam ego non ſolum, quia ſi tuam erga me voluntatem & gratiam conciliare poſſim, magni facio, vel quia ſignificandæ meæ erga te benevolentiæ obſervantiæq́ occaſionem qualemcunque libens arripio, hanc tibi meam de Alea operam do, dedo, atque offero: verum etiam, quia ipſe nunc velut in altum & periculoſum judiciorum omnium mare, tuto ex ſilentii portu, ingredi cum cœperim, tua auctoritate, tuaque prudentia & felicitate à calumniantium procellis, & malignorum omnium fluctibus tutum & ſalvum eſſe me cupio & ſpero. Neque id hercle *etiam,*

etiam, quia illum tibi ex uſu fore putem, facio: novi enim animi tui moderationem & æquitatem, ac quàm ſis ab omni cupiditate injurioſa alienus probè intelligo: itaq; etiam hic ſæpè cum multis, tum præcipuè cum præſtantis ingenii & magni ſortiſque animi adoleſcente CAROLO *Suatere, uxoris tuæ fratris filio (quem honoris etiam cauſa nomino) longos de tua modeſtia, conſtantia, omnique in rebus maximis adminiſtrandis diligentia & fide ſermones producere ſoleo.Nihil enim libentius quam de te loquimur: ac præſertim, cum etiam ad hos noſtros de te ſermones, nobilis, modeſtis & eruditus adoleſcens* PHILIPPUS *Marnicius*

nicius accedit. Verùm, ſicut ſermo & oratio, quæ in hominum veterum, eorumque illuſtrium auctoritate poſita eſt, plus neſcio quo pacto habet gravitatis, ipſaque per ſe attentionem facit: ita etiam vitiorum, cupiditatumq; pravarum cenſura & correctio à virtute, omnique juſtitia & fide præſtantibus & conſpicuis viris propoſita, non ſolum plus auctoritatis habere videtur, ſed etiam libentius ab omnibus admitti ſolet. Quamobrem nihil abs re fore putavi, quamvis in omni perſolvendi officio id maximè præſtandum videtur, ut quiſque maximè opis indigeat, ita ei potiſſimum opitulari: ſi etiam hanc meam de Alea, ſive cu-

curanda ludendi in pecuniam cupiditate lucubrationem, tuo ſub nomine divulgarem. Nam quid tam proprium aut conveniens tibi eſſe poteſt, quid tam illuſtri tuæ perſonæ dignum, quàm ſi, ut diu ampliſſimæ nobiliſſimæque Gandavenſis civitatis homines, magnus ibi Prætor ſumma æquitate & juſtitia in officio continuiſti: ita nunc etiam à te non ſolum unius civitatis aut provinciæ viri, ſed etiam totius propè terrarum orbis homines, (undiquaque enim immanis iſta ludendi cupiditas ſævit & graſſatur) commodam aliquam ad mores formandos, animoſque regendos, diſciplinam recipiant: quam quidem certè, cum à te, cu-

jus

jus nominis claritas undique percrebuit, profectam videbunt, omnes non ſolum libenter, ſed reverenter etiam accipient. Vt enim propter virtutem, & ſingularem modeſtiam ac libertatem, probos omnes ſimilitudine morum, qua nihil eſt amabilius, nec copulatius, ad te allicis atq; attrahis, tuaque illos gratia & benignitate amicos facis: ita contra diſsimilitudine longè repellis improbos. Et tamen interea propter auctoritatem ac decus, ut à contumelia & obtrectatione indigna ſe abſtineant, perficis. Sed nolo in epiſtola te tibi oſtendere, tuaſque ſingulares animi dotes, quibus & pacis & belli tempore, domi militiæque excellis,

eximiam præterea navalis diſciplinæ, ac maritimarum rerum ſcientiam tuam & gloriam, anguſtis epiſtolæ limitibus concludere. Apud alios illa prædicare, atq; in oratione juſta celebrare malim. Nam longè à te abſens cum ſim, facere id poſſe ſine adulationis vitio videor. A quo quidem certè; quamvis diu in aulis Principum verſatus, doctiſque in eo genere hominibus uſus ſum, maximè tamen & natura & voluntate abhorreo, Vnum igitur nunc ſi addidero,, finem faciam. Aleam, omnemque in pecuniam ludum; licet vehementer cum bonis viris omnibus damno (nam & ſenatuſconſultum, ut ait juriſconſultorum eloquen-

quentiſſimus Paulus, vetuit in pecuniam ludere: & alterius incommodo ſuum augere commodum velle, contra naturam eſt) non tamen ludum, qui ſine cupiditate, ſine ullo affectu & perturbatione, ſervato tempore & modo, leniendarum ægritudinum aut laborum cauſa exerceatur, omnino vitupero: non hercle magis, quam ſi cum gravibus ſeriiſque negotiis ſatisfecimus, tum vel ſidibus canamus, vel ocio, ſomno, aut cæteris quietibus utamur. Neque enim vitioſa fuiſſe prima Aleæ inventio perhibetur. Nam Lydi ob rerum caritatem, quo facilius famem tolerarent, aleam inveniſſe traduntur: ſicut & talos, & pilæ ludum. La-

trunculi verò etiam (Scacchos vulgus vocat) ut ocium in obſidione longa milites conſumerent, inventi dicuntur. Sed & Horatius ait:

Non luſiſſe pudet ſed non incidere ludum.

Et boni viri, Cato Portius aleâ luſit, & Domitianus, & Claudianus, qui etiam librum ejus artis edidit. Item Verus Imp. & Auguſtus. Mecœnas verò etiam, & Q. Galba, latrunculis luſores: Cæſar & Scævola, ac Ticinius quidam (de quo Cicero ſcribit) pila luſores optimi fuere. Vale diu felix, vir ampliſſime: meque in eorum numerum, qui omni Amplitudinem tuam ſtudio obſervantiaque colunt ac diligunt,

gunt , annumerare ne graveris. Ideo autem plura ad te exemplaria miſi , unum ut ex illis clariſſimus vir Maldeghemi & Pittemi dominus (cujus ego docta ſuaviſſimaque conſuetudine,quæ illius humanitas fuit,in Hiſpaniis *aliquando uſus fui) ne immemorem me ſui putet,habere poſſit: alterum, nobiles & ſingulari doctrina atq; eruditione præditi adoleſcentes,* Ioannes *& Philippus Marnicii, fratres optimi,tuique amantiſſimi. Quorum quidem altero ita hic ſum amicè & familiariter uſus, graviſſimè ut ejus diſceſſum tulerim : alterum etiam Bononiæ , cum aliquando ex tertiana febre, ob præſcriptam illi malam victus ratio-*

 nem,

nem, in ardentiſſimam incidiſſet, fideliter, admodum magna relata atque habita gratia, curavi. Iterum Vale: Ticini, pridie Calend. Septembris: Anno reſtitutæ nobis per CHRISTUM *ſalutis* 1560.

Index Problematum, de quibus agitur LIBRO I.

QUæ autorem cauſa ad ſcribendum de Alea potiſſimùm impulit.

Aleæ definitio, ejuſque explicatio, exemplis variis & mirandis illuſtrata.

Unde in hominibus effrenata & præceps ludendi cupiditas oriatur.

Quæ affectuum omnium, quæ Aleæ cauſæ.

Aleæ cauſa finalis, formalis, efficiens.

De conſuetudine, ejuſque viribus: & quatenus Aleam in hominibus excitare atque augere poſſit.

De Aleæ effectibus & eventis: quæ exemplis etiam variis illuſtrantur.

Quæ cognatæ, quæ pugnantes cum Alea affectiones animi ſint.

Confutatio eorum qui ludendi cupiditatem omnino in avaricia conſiſtere dicunt.

Qnare alea, ſive ludendi in pecuniam cupiditas, diuturna adeo & contumax in hominibus affectio eſt?

Quare in optimis ſplendidiſſimiſque

ingeniis facillimè ludendi cupiditas innaſcitur?

Quare plerumque, qui ab aleæ ludo, accepto gravi damno diſcedunt, tum planè nunquam ſe redituros deinde in idem periculum promittunt, adeoque affirmativè Deo vovent: & tamen poſt paulo, immò quàm mox, multum ab illis mutati, majore etiam cupiditate, velut in eundem ſcopulum & apertam perniciem incurrunt?

Quare in alea, quale ſit hominis ingenium & natura, non obſcurè elucet?

Quare qui calidiores terras incolunt, magis ſunt cæteris ad aleam proclives?

Quare qui multa cum caliditate, humidiora nacti ſunt corpora, ſubitos & effrenatos magis impetus habent, ideoque (ultima enim ſtatim audent) parum ſunt ad ludendum apti?

Quare plerique, dum in alea ludunt, uſque eo moroſi, difficiles, atque omnia faſtidientes conſpiciuntur, ut ſubinde ipſa illis aura impedimento eſſe videatur.

Quare aleatores, præcipuè indocti, cum minus ludo proſperè funguntur, concitatos magis animi motus habent: quàm cum integri adhuc, aut quovis

adaucti

adaucti lucro, alieno tantum inhiant?

Quare qui largiorem in pecuniam ludere conſuevere, non ſine maxima moleſtia, gratis aut parvo precio idem faciunt?

Quare ſæpe aleatores, ut maximè rem aliquam (puta torquem, veſtimentum, aut equum) concupiſcant: tamen ne precium de ſuo exponant, emere recuſant. Si vero in eandem ludere ſibi conceſſum ſit, libenter faciunt, & quidem ſi in ſemiſſem ponatur, cum triente prius dato, ſine periculo comparare potuerint: immo etiam multi, ſi dimidio propè carius ponatur, quàm æſtimaverint?

Quare aleatores ſuperbi, multa adeo in Deum maledicta conferunt, atque omnibus ipſum probris figunt?

Quare vehementer ad aleam propenſæ mulieres, omnes ferè ad res gerendas promptiores ſunt, atque iis rebus quæ in animi magnitudine & robore conſiſtunt, virile quoddam robur præ ſe ferre videntur?

Quare plerique, antequam ad ludendum accedunt, putant ſe ad fortunæ morem, certa quadam ratione accommodare poſſe, adeoque ſponſiones auctio-

ctioneſque omnes ſuo quodam arbitrio & ludi conformatione moderari. Sed tamen procedente ludo, plane quod inſtituerunt, perfringunt ac labefactant: & nihil omnino minus, quam quod propoſitum ſibi conſilium erat, ſequuntur?

Quare ab aliis rebus ferè omnibus male ſemel accepti procul ab illis atque à fulmine aleatores miſeri fugiunt: ad aleam vero unam impotentes, ſponte & etiam & ſæpiſſime, velut ad interitum voluntarium recurruut?

Quare aleatores creduli, nacti ſubinde quod in medium conferre poſſint, ſentiunt omnes ſibi ſenſus quaſi dulcedine quadam perfuſos recreari?

Quare inflari ſpe atque animo aleatores, anhelantes toto pectore ludum, quo citius colluſores petere poſſint, celeriter ab omni occupatione ſe expediunt: quos ſi forte advenientes, ut fit, domi non inveniant, tum planè quaſi ex alto repentè depreſſi, immutari ſe totos mirum in modum ſentiunt: ac qui venientibus inceſſus erat celer & concitatus, diſcedentibus tardus ac lentus evadit?

Quare, ut amatores ad amicæ nomen, cogi-

cogitationem & conſpectum valde commutantur animis: ita ad aleæ mentionem alveoli ſtrepitum, & ſortis caſus, quos ſæpe & varios ſibi fingunt, aleatores mirifice commoventur?

Quare irati de ſorte adverſa aleatores, non ſecus ac pueri, qui ablata ſibi de pomo vel cruſtulo portiuncula, quod reliquum eſt offenſi abjiciunt: ita quam habent reliquam in ludo pecuniam, omnem tum plane projicere inconſulte ac temerè videntur?

Quare alea, quod omnes uſque adhuc, putarunt avaricia, id eſt opinatio vehemens de pecunia, quaſi valde expetenda ſit, non eſt: non magis, quam ille qui vulgo appellatur amor, venerei tantum amplexus exiſtimatio, ſed potius gravis quædam animi affectio, animoſa credulaque ſpe, futuri ex jacta ſorte boni, conſtans?

I N-

Index Problematum,

quæ continentur

LIBRO II.

QUare, cum à corporis natura calidiore, credula in aleatoribus ſpes, adeoque flagrans ludendi cupido naſcatur : tamen ad animum adhibita medicina, inſitam à temperie corporis cauſam reprimit & depellit ?

Quid corporis, quid animi ſanitas, quid utriuſque morbus : & quæ tuendæ conſervandæque ſanitatis amborum ratio ?

Sicut corporis ægrotationes omnes, ita etiam animi ægritudines, per contraria ſibi remedia removentur.

Quid affectus, quos perturbationes Cicero, Græci πάθη, id eſt morbos animi vocant, quotuplex illorum genus : quomodo in hominibus generentur, & quomodo reſtringui ac depelli debeant.

Ut corporis pars aliqua, ſine totius læſione dolore atque ægrotare poteſt: ita animi ſenſus aliquis una ſui parte affici & permoveri.

Ut corporis, ita animi pars affecta morbo, gravem ſi læſionem patitur, to-

tum

tum ipſum in doloris morbique conſenſum trahit.

Qua potiſſimum animi parte affecti aleatores ſint, quibuſque adhibitis remediorum formulis curari poſſint.

Duplex aleatorum eſt animi vitium. Primum, quod qua in re caſus & fortuna dominatur, ex illa, ſtulta quadam ſui fiducia, credulaque ſpe, ſine ulla cauſa, certum affore ſibi lucrum planè credunt, totoque id pectore atque animo ſuſcipiunt.

Alterum, quod nullo commiſſo crimine, immò ne culpa quidem aliqua, alterius lucrari ſe poſſe copias, perniciosè exiſtimant: vel certè, ſine ulla peccati conſcientia, facere id conantur ſedulò.

Formulæ remediorum binæ, quæ commodè adhibitæ, atque in animo penitus infixæ, pravitates iſtas animi perinſignes removere poſſint.

Prior: qua in re ſors proterva dominatur, incerta credulaque ſpe, ſolo naturæ ardore ſuſcepta, commodum proponere ſibi, atque animo toto ſuſcipere, maxima eſt ſtultitia: facultatum verò & bonorum ſuorum periculo conſectari, inſania.

Poſterior: Hominem hominis incommo-

modo ſuum augere commodum velle, magis eſt, contra naturam, quam mors, quam paupertas, quàm dolor, quàm cætera quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis.

Lucrum quod ex alea luſores mendici ſubinde faciunt, non lucrum vocatur, ſed fortunæ uſura.

Quas crebro in ore ſententias habere, & quorum inſpicere vitam aleatores inſatiabiles utile ſit, ac ſalutare.

Quoniam ſicut corporis pars aliqua ſæpe medicinam non admittit, niſi facta prius totius curatione: (corpora enim impura, quanto quis magis nutrit, tanto lædit magis:) ita etiam in animo, ſecundum aleam aliaſque cupiditates omnes ſimiliter evenit. Quæ ſit ægri totius animi, brevis & ſimpliciſſima medendi ratio.

Is demum, vel potius is ſolus, omne tempus ætatis ſine moleſtia degit, qui ſua ſorte contentus vivit.

Inſatiabiles hominum cupiditates ſunt.

Quæ ſit expertium rationis, & contumacium affectuum gubernandi coërcendique ratio: nimirum quam Virgilius quarto Æneidos, ſub perſona Æneæ prudentiſſime expreſſit, cùm ait:

— *Ma-*

——— *Magnoque animum labefactus amore,*
Iuſſa tamen divûm exequitur. ———

Ubi totius illius elegantiſſimi libri allegorica & brevis adjuncta eſt explicatio.

PASCASII JUSTI

Eclovienſis, Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris, in ſuos de Alea, ſive curanda ludendi in pecuniam cupiditate libellos, Præfatio ad Lectores.

CVm in omni omnium hominum vita, duo ſint præcipua mala, ſævus nimirum Amor, & præceps Alea, quæ maximè, vel potius ſola, jam inde à priſcis temporibus uſque, omnes homines, juvenes præſertim, & eos ſummæ ſpe animi atque ingenii præditos, ab optimis omnibus ſtudiis abducunt, & miſere nobis perdunt: adeoq; protervè. pelulanter & obnixè id faciunt (credo, ne qui liberi & ſani homines diis aliquando ſimiles evadant) vix ut ex omnibus uni concedant: Amor, ejuſq; tota vis, & natura, à multis optime variéque ſecundum omnes ſuos ſenſus & motus, magna multorum utilitate

& authorum admiratione ac laude deſcriptus, omnium eſt oculis manibuſque immò etiam puerorum ſtudiis; utiliter expoſitus: Alea verò, hoc eſt immenſa illa & effrenata in pecuniã ludendi appetitio & cupiditas, quam multo etiam antè quam amorem, ab omnibus cognoſci æquum erat (nam & longè prius homines invadit, & certius in exitium trahit, ac gravius diutiuſque ne dicam toto vitæ curriculo, intimis in viſceribus hærens, graviter ardet, magnumque & acerbum dolorem commovet) ſola adhuc incognita, velut immanis aliqua & ſæva peſtis, plane gravi mortalium detrimento, & Philoſophorum Poëtarumque non levi nota, in omnem hominum vitam longè lateque, magna pernicie graſſatur. Neque enim quiſquam, ne veterum quidem, uſque adhuc inventus eſt, qui, quod ſciam, animi affectionis hujus impetus

tus

tus & motus, quos habet graviſſimos, quales ſint, aut unde veniant, ulla oratione aut ſtylo nobis propoſuerit: nemo, qua ſe ratione erigere afflicti graviter, aut quo conſilio recreare & reficere ægrotum animum poſſint, explicavit. Immò ne in comœdia quidem unus aliquis, ſpectandum nobis Aleatorem dedit. Itaque plerique, à nemine animadverſione hac excitata, ne affectionem quidem ullam animi manentem, Aleam eſſe, aut ullis à natura incitamentis magnoperè ad ludendum homines concitari putant: ſed tantùm vel conſuetudine aliqua prava, vel nimio quodam ocio & negligentia, vel potius temeritate quadam, & repentino quaſi vento impetu animi impulſos, ignota occultaque cauſa, improbè ſic facere credunt. Ac, qui pernicioſus eſt error, multi etiam, ne injurioſos quidem in proximos eſſe, eos qui alea ludunt:

dunt : aut ullo ſe ſcelere contaminare, quamvis id magnam in pecuniam vel rem faciant, arbitrantur. Quod quidem certè, propter conſuetudinem, nimis valde communem, à qua cum pœna abfuit, impetratum hoc videtur, uſuvenit. Qui vero doctiores ſunt interrogati, omnes (ut putant, Ariſtotelem ſecuti) avariciam eſſe, brevi nimium ſermone reſponderunt: qui quidem, quam id obſcurè & vix minima, immò nulla rei parte cognita dicant, toto paſſim libro latius explicavimus. Nam (ſi eſt etiam ſimpliciter breviterque dicendum) & à prodigalitate, longè quàm ab avaricia, plura ſumit. Inconſideratè enim temeritati & effuſioni, multum ubique ſimilis & vicina, nuſquam autem timiditatis aut contractionis particeps eſſe videtur: & ſicut Ariſtoteles de animi elatione docet, quæ à magnanimitatis officiis, modum

tran-

tranſeundo recedit, in errore potius, & opinione, pravoq; de ſe judicio, tota conſiſtit. Spes enim ſive compendii faciendi, ex ducta ſorte, confidens & fixa opinio, abſque ulla ratione aut cauſa, ſola quadam juveniliter exultante fiducia atque omine concepta, & natura animiq; nimio fervore nata, qua quidem certe, non avaricia, ad ludendum omnes homines ducuntur, aperta eſt ſtultitia, & ſui ignoratio. Quæ quidem nimis ſibi blandiens & ſtulta credulaque animi affectio, ſi ex homine penitus tollatur, quantumvis licet avaricia ferveat, nunquam in ludendi turpem conſuetudinem veniet, Imò vero etiam ſic affectus, ſibi conſtans, quàm longiſſimè ab alea omnique periculo ſubeundo recedet. Contrà vero, hanc vincendi credulitatem & bonæ ſpei fiduciam atque alacritatem, ſi quis ſublatis animis, demens recipiat, cum nemo hoc

tempore, corruptis depravatiſque moribus; uſque adeò reſpuit omnes voluptates, aut eo uſque ab omni pecuniarum aviditate alienus eſt, quin ſi ducta ſorte quaſi gratis potiri illa poſſe perſuaſum habeat, non libenter id faciat: recipiat idem voluptatem, periculum ſubeat, atque aleam ſæpe jaciat, conſentaneum videtur. Itaque quam avariciam omnes ſic vocant, credo, quia pecuniæ ſtudium & uſus ejus exercetur: cum tamen non propter ſe, minimeque avarè, ſed qua diverſa ratione utantur & frui poſſint, luxuriosè illam expetant, & comparare jacta ſorte aleatores ſtudeant, (iis enim rebus quæ ſunt libidinis, ſumptus ſuggerere cupiditatibus obſequi, veſtitu indulgere, corporibus deſervire, obſonare, & profuſis ſumptibus cætera vivere, imò etiam de ſorte & lucro prolixè largiri aſſiſtentibus, maximeque voluptа-

luptatum miniſtris , videmus) ne pars quidem iſta avaricia nomini ſordido, ſed potius luxurioſæ cupiditatis libidiniſque genere continebitur: niſi ſi quis fortè novum quoddam & animoſum ac ſuperbum avariciæ genus confingere malit. Quæ quidem ex eo cuivis facilè eſt noſcere, quod nemo qui largiorem in pecuniam ludere conſuevit, vel certo quæſtu & lucro, ſine maxima moleſtia, idem in puſillam faciat. Atqui avidis & ſordidis hominib. omnis lucelli bonus eſt odor. Quare nihil etiam avariciæ, quæ timiditatis, omniſque imbecillitatis eſt comes, magis contrarium eſſe poteſt. Hæc enim quia modum deſerit, tota in vitio eſt: alea vero, quia tranſit, & rationis fines, longo intervallo prætererit, vituperatur. Neque verò etiam quicquam in ſe parum, itaque nec medium habet. Alterius enim incommodo ſuum augere commodum velle,

tam

tam eſt contra naturam, & iniquum ſemper, ut nullo unquam tempore, quantumvis adducas aut remittas, laudari poſſit. Quare quid Ariſtoteles velit, cum quarto Ethicorum libro ait. Attamen & aleatores & fures & latrones avari putandi ſunt, quòd in turpi quæſtu ſint occupati, (nam ſpe quæſtus hæc inſtituta ſequuntur, & probra perferunt:) poſtea explicabimus. Id enim perinde eſt, ac ſi quis & meretrices avaras eſſe dicat. Non enim aleatorum naturam ibi deſcribit, ſed avariciæ partes omnes exponit. Immò neq; ipſe aleatores avidos eſſe negem: eoque tanquam proprio & commodo epitheto, eleganter etiam appellari poſſe: quemadmodum & ſpes avida atque avara, ſcitè hercle à Poëtis vocatur: ſed ab iis qui rei naturam in eo conſiſtere, & omnino contineri dicunt, vehementer diſſentio. Cum igitur, ſi quis vir magnus, multum

multum ab omni doctrina & natura inſtructus, dicendi quadam ſingulari facultate & ſcientia præditus, affectionis hujus graviſſimæ & turpis admodum actionis naturam ita omnibus ſuis numeris explicet atque evolvat, ut quàm ſit pernicioſa & iniqua, maximis omnibus vitiis ſceleribuſque diſtricta, plane & perſpicuè deinde ab omnibus noſci poſſet: tum, quod caput eſt, qua ratione afflicti miſerè homines, evellere diram ex animo cupiditatem valeant, & quæ facta medicina gravi expedire ſeſe cura, magnumque minuere dolorem queant, apertè doceat: is ſane diis proximus, omnium maximum & prope divinum in ſocietatem humani generis beneficium conferre judicandus ſit. Ego non, ut hanc mihi laudem ſumam, aut tali me honore dignum putem, (præmagni enim & ſapientis illud viri munus eſt: ſed quod

mihi

mihi ſum conſcius, ut tenui in re mecum habitans, excelſa omnia ingenia ad pulcherrimi operis laudem, ac quod inprimis mihi propoſui, ad graviſſimi affectus ſolatia remediaque, & doloris levamenta inquirenda excitarem, propter utilitatem communem, provinciam hanc ſuſcepi. In qua ſi minus omnia quæ debui & vellem, propter ingenii tenuitatem, cujus me pœnitet, præſtiti, certè tamen in laude voluntas eſſe debet: & vel excitaſſe ad præclarum & utile cum primis opus optimorum omnium ingenia, benignè ac liberaliter factum videri. Neque enim ego (Deos teſtor) tam perfecti aut præſtantis alicujus operis gloriam, quàm deſideratæ ex eo, utinam etiam futuræ utilitatis, quæſtum in animum induxi. Ideoque, non ornato & numeroſo verſuum aliquo genere, quamvis aptam illis materiam, & in quibus medio-

cri-

*criter aliquando verſatus fui : non diſputatione, & Dialogo: non oratorio aliquo, quod ſplendorem aut magnam aliquam dicendi vim & animi alacritatem requirit : ſed didactico, ut vocant, libero, tenui & quieto orationis genere, at maximè ad docendum apto, rem omnem tractandam recepi. illud enim, cùm nihil quod ad rei alicujus naturam perdiſcendam pertinet, prætermittere videtur : tum etiam natura & ordine valde mihi conveniens apparet. Veteres igitur Græcos, optimoſque omnes medicos, quorum ego ſtudiis mirificè delector, qui corporis morbos eâdem clariſſima utiliſſimaque methodo perſecuti, primum quid ſit morbus, deinde quæ morbi cauſæ, tum quæ ex illis eventa (*συμπτώματα *vocant) oriantur, denique quæ cognata, quæ contraria, tradunt, ſecutus: ut eorum agendi faciendique modum omnem alibi, ita*

etiam

etiam hic ſcribendi rationem imitandam mihi eſſe putavi. In quo(ab aura populari abhorrens (ut communem utilitatem ſolùm ſpectaſſe me intelligatis, volo vos ſcire, cum primùm de hujus rei dignitate ac magnitudine cogitarem, omnem meum de alea ſenſum animi brevem in orationem conjeciſſe: idque eo conſilio, tantum ut illam viva voce publicè apud omnes pronunciarem: ſperans fore, ut in magna Doctorum virorum multitudine, non deeſſet unus aliquis, qui tractandum pro amplitudine rei negocium ſuſciperet. Putavi enim aliena virtute melius id perfici poſſe, quàm propria tenuitate infeliciter conari, præſertim cum aliis ſtudiis cogitationibuſque diſtractus eſſem &, jam diu etiam ab omni ſcriptione abſtinuiſſem. Sed cum jam illam Bononiæ, nobiliſſima Italiæ Academia, maxima ampliſſimaque in concione, magna expectatio-

ctatione, & ſumma bonorum omnium attentione, malorum verò maximo ſtrepitu & vociferatione (ut illorum maxima in Italia licentia eſt) recitaſſem: tum vero poſt paulò, multi ita magno & frequenti à me ſtudio contenderunt, deſcribere ut orationem ſibi liceret, nullo modo ut ſatisfacere omnibus tum neque quiverim, neque lubuerit. Erat enim eo *à me conſcripta conſilio atque animo, audiri ut vellem, non legi etiam.* Sed *tamen poſtea impensè magis rogatus, atq; à multis etiam aſperius appellatus, quaſi magno rempublicam commodo privarem, eique officio deeſſem meo, ſi quod optimo conſilio excogitaram* πολιτικὸν *(ut ipſi* ὑποκωρίζοντες *dicebant) opus, ſupprimerem: evictus tandem, imponi hanc mihi edendi operis neceſſitatem ſum paſſus: totoque orationis genere priore commutato, in libellos rem omnem conjeci. Quare*

nunc

nunc vos etiam atque etiam rogo, ut eo à me animo, hoc quicquid eſt, accipiatis, quo plane prius, ut audiretur tantùm, & melioribus argumentum eſſet, compoſitum fuit. Neque hujus meæ qualiſcunque meditationis vos pœniteat: ſed potius omni ſtudio illuſtrandam amplificandamque vobis eſſe, cogitetis. Ita enim fiet, ut ſi hoc æquis animis omnes faciemus, atque huic malo, latè admodum patenti, pro ſe quiſque noſtrûm mederi curabimus, cum in excellentes omnes animos, & optima quæque ingenia facile cupiditatis iſta ſitis, propter excellentis naturæ cum elata opinione & crudelitate cognationem, invadit: tum vero expoſita affectionis, erroriſque turbulenti cauſa, ipſi ſibi noti, multum & cupiditatem imminuant, debilitentque: & quam credulæ ſpei opinationem vitioſo animi habitu, ſine cauſa comprehendêre, libenter e-

tiam

tiam animis remittant, atque hinc plurima ad rempublicam commoda veniant. Vt enim in corporis morbis & doloribus tum demùm rectè medicinam facimus, ſi, cum eſt cauſa mali cognita, quo eſt opus loco & tempore, curationem adhibemus (cauſis enim morborum, remedia ex adverſo reſpondere debent: idque ſive ſimplices ſive compoſitæ & implicitæ fuerint:) ita etiam in animi ægritudinibus omnibus, rectè ſi curandæ ſunt, idem debet obſervari. Secus enim, ut Terentianus ille Chremes, ipſum ſe punientem Menedemum (qui quod unicus filius, quem ſua injuria ejecerat, militatum profugerat, nullum ſibi magni laboris vacuum tempus dabat) fruſtra, quaſi avaricia miſerum, & nimis ad rem attentum, monet: ita nihilo plus, vel minùs etiam agat, qui aleam, hoc eſt, exultantem in hominibus inconſulta & cæca ſpe

fiduciam, adoleſcentiæ & naturæ ardore tanquam vino concitatam, avaritiæ remediis reſtinguere aut ſedare meditetur. Fontem enim primùm & cauſam in omni malo reſpicere oportet: quæ qui negligit, fateatur ſe verè curare neſcire. Imò, quod malis medicis imperitè morbi cauſam conjicientibus accidere ſolet: adhibita parum apta medicina, deinde multo gravius vehementiuſque ut affligentur ægri, faciunt: everſoque medendi ordine, affectum conduplicant. Quare cum multi, ipſi ſe ignorantes, multum in eo ſtudii operæque ponere videntur, ut pernicioſa qua flagrant cupiditate, liberari poſſint: nihil adubitandum, quin ſi decentem ad animum ægrotum curationem adhibeant, atque omnia ex hoc pendant, ut ſpem credulam, ſine ulla cauſa, ſolo naturæ fervore conceptam removeant, ideoque quàm ſit ſapientiæ &

rationi temeritas contraria perdiſcant: ac deinde nihil tam eſſe injurioſum, quàm alterius incommodo ſuum augere commodum velle, animo ac mente concipiant: nihil inquam addubitandum, quin edocti, facilè à ſententia deſiſtant, ſuaque voluntate mox à mala conſuetudine recedant, ſeſeque ad diverſas vitæ rationes traducant: multoque hoc melius ac firmius, quàm ſi (quod plerique alieni à ſanitate faciunt) nuncupatis impotentia, & dolore ſanctiſſimis Deo votis, factiſque, pœnis interpoſitis, quas mox ridiculosè perrumpunt, ſponſionibus, turpiter id & ſtultè identidem conentur. Qui quidem certè Didorum ac ſui ipſius juxta ignari, partim Vergilianam illam Divonem, quæ cum ſævo eſſet amore ſaucia, ac venis interea indulgenter illum aleret, pacem per aras quærebat: partim malos medicos, qui cauſa morbi inſcii

ſcii atque imperiti, cum capiti mederi debeant, reduviam curant, imitari mihi videntur. Quare, nihil etiam ut à me deſiderari poſſit, (nam & gratum hoc adoleſcentibus, & multo etiam magis utile omnibus, quos effrenata vexat alea, fore judicavi) volui, quæ unica ac ſimplici oratione à me prius, quo dixi animo, conſcripta fuerant, duos in libellos diducere: atque poſteriore veluti curationis & remediorum quaſdam formulas exponere, quas qui pro ingraveſcentis ægritudinis modo ſequantur, præſentibus remediis inſtructi, & parvo mederi, & omni ſeſe ludendi cupiditate evolvere, ac gravi expedire cura poſſint. In quo quidem ſi cui forſan moleſtius paulo (nam varia ſunt hominum ingenia) idem ſubinde repetere videbor: is non ſolum à Ciceronis libris ad Galeni volumina tranſiiſſe me jamdiu ſciat. verumetiam

tiam illud Senecæ dictum putet: Nunquam ſatis dicitur, nunquam quod diſcitur ſatis. Valete, atque hos nullius adminiculis, ſed (ut dicitur) Marte noſtro, omnium utilitati conſcriptos libellos, boni conſulite.

PASCA-

PASCASII JUSTI
Eclovienſis Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris.

ALEA,
Sive de Curanda ludendi in pecuniam cupiditate Liber. I.

QUAM ſit difficile atque arduum, de re magna, latè omni hominum vita diffuſa, eâque à nemine antea explicata, in maxima doctorum virorum celebritate & frequentia, ſcribere: neminem ignorare puto. Nam qui ejuſmodi aliquid inſtituit ac parat, cum certè præterquam quòd magno animo eſſe oportet, nova dicere, atque à ſe inventa vel excogitata in medium proferre neceſſe eſt. Quod quidem nemo unquam ulla in re rectè præſtiterit, niſi qui ſit vel longa

experientia, crebràque exercitatione edoctus: vel ſingulari quadam atque excellente ingenii magnitudine præditus: vel potius, optimè à natura informatus frequēte adhibita cogitatione atque uſu utraque re pariter ornatus. Verùm de Alea, hoc eſt ludendi in pecuniam pernicioſa cupiditate, pręſente libro verba facturus, planè, quod dixi, mihi uſuvenire videtur. Nemo enim adhuc, quod ſciā, inventus eſt, qui affectionem hanc animi, qualis quantaque ſit, conſultò explicavit: nemo veterum, nemo hujus memoriæ, aut noſtrorum hominum, qui omnem ſuam ſcientiam ad utilitatē publicam attuliſſe videntur, impetus illos & motus ac ſenſus, quos quidem maximos acerrimòſque in hominum animis excitat, perſecutus memoriæ tradidit. Et tamen, jam inde à primis temporibus uſque, nullum ubique malum,

nulla

ulla peſtis, nulla pernicies, in om-
es civitates atque homines longius
ıtiúſque magna calamitate invaſit:
t qui id nitatur, nullo alio argu-
ıento, nulla ſcribendi ὑπόθεσιν, ma-
ɔrem ſibi laudem, aliis utilitatem,
fferre poſſe videatur. Verùm ne
uis arrogantiæ aut temeritatis vitio
dſcribat, quòd cum nihil eorum
uæ dixi, vel certè exigua omnia in
ıe reperiantur, quæ ad tractandum
ræſentem materiam, magno & eru-
ito viro digna requiruntur, tamen
l hoc & tempore & loco celeberri-
ıo, homo alienigena & longinquus
udeam: prius, qua ratione potiſſi-
ıum adductus, id faciam: deinde,
uod inſtitui, breviter & æquabi-
i temperatóque orationis genere,
uale docentibus convenit, quod
otero, explicabo.

Cum igitur ita à natura omnes
ıomines creati ſimus, ut ſicut actio-

num noſtrarum, ita etiam excitandorum ſedandorumque affectuum præcipuam cauſam & ducem Rationem habeamus (neque enim brutorum animantium, aut amentium ebriorúmve hominum ritu, ſolo naturæ impetu, ad agendum cupiendúmve impellimur: ſed voluntate, quæ à Ratione proficiſcitur, & proximè regitur, liberè variéque movemur,& à vitiis abducimur:) ideóque meritò Prudentia, quæ quia rationis procreatrix, & quaſi parens eſt, virtutum omnium, quarum in actione laus conſiſtit, domina & regina habetur: atque in omni genere in quo deliberare & conſultare homines ſolent, tum demum viciſſe nos, atque omnia conſecutos eſſe putamus, cum quod expetendum eſſe ducimus, honeſtum, quod fugiendum, turpe eſſe perſuaſimus: diu mecum & multum id cogitans, ſæpe admiratus

ratus ſum, quid ſit, quòd cum virtutes omnes, vitiáque & affectus animorum cæteri, ita à philoſophis, oratoribus & poëtis, nobiliſſimis animi & morum magiſtris, tam Græcis quàm Latinis, graviter & ornatè deſcripta & expreſſa ſint, ut tanquam in tabula propoſita omnibus & conſpicua, facilè in virtutum amorem, vitiorúmque odium excitare atque inflammare animos poſſint: ſola alea, hoc eſt, effrenata illa in pecuniam ludendi appetitio & cupiditas (ſic enim vocare affectum mihi liceat) quæ tam multos paſſim miſerè ſolicitat, imò etiam funditùs perdidit, atque (ut video) perdet, ideóque vel in primis ab omnibus qui communitatis hominum & vitæ commodo ſtuduerunt, exponi ad fugiendum juventuti debebat, à nemine tamen adhuc, niſi ἐν παρόδῳ fortè, aut veluti prætereunte, tractata ſit.

Nam, ſi quis alius, multos ego graviter hac cupiditate, velut æſtu quodam fluctuantes, nec paucos magnitudine tempeſtatis ſubmerſos, cum viderim, frequenter in hanc cogitationem veni. Neque id ſolum ſponte mecum exiſtimavi, ſed multo magis crebrò ab amicis, qui graviter ægri, tanquam à periculoſo morbo liberari ſe flagitabant, obnixè remedium rogatus, ſi quis etiam tanto furori medicinam feciſſet, ſedulò inquiſivi. Idque eo impenſius feci, quòd maxima ratione, ſummóque conſilio, poſtulare hoc mihi videbantur. Cum enim nulli noſtri affectus, nulla animorum vitia, niſi nota prius nobis & perſpecta, recte curari poſſint: ſitque propter amorem quo ipſi nos proſequimur, ſeipſum noſſe difficillimum, ac nemo id niſi ſapiens præſtare poſſit: prudenter ſanè cogitabant, tanquam in comœ-

dia aut aliena perſona , Aleatorum imaginem , immenſam inquam & exitioſam cupiditatem, anxiam credulamque ſpem,& ſallacem ſui fiduciam, graviſſimóſque motus omnes, & totius rei indignitatem intuendo, ſi non liberari penitus affectu , attamen lenire dolorem, & magnam morbi partem poſſe deponere. Verùm cum nec ipſe, nec à me rogatus aliquis, quamvis illi multi fuere, hujuſmodi aliquod levamen aut orationis remedium , quale tunc maximè deſiderabant,& opus ſibi erat,invenirent: indignum ratus,maximam animi perturbationē, & acerrimam fortiſſimámque cupiditatem , toto ferè vitæ ſpacio , miſeros homines graviter immanitérque affligentem, ita ab oratoribus,qui ſe in hominum animos imperium habere perfecto completóque verborum ambitu dicunt, neglectam eſſe: ita à poëtis, qui ſe

ſe cum delectatione prodeſſe velle, numeroſe canunt, atque adeò difficile eſſe fingunt Satyram non ſcribere, relictam: denique à philoſophis, qui ſe naturam mutare, atque animis mederi poſſe accuratè docent, ac quorum præceptis qui pareat (ut graviter diſputant) omne tempus ætatis ſine moleſtia degere poſſit, ſilentio prætermiſſam: ipſe commiſeratione afflictorum, cupiditatis magnitudine miſerè conflagrantium, motus, tacentibus omnibus, ſi finem afferre, alto & pernicioſo nimis ſilentio, poſſem, tentandum putavi: ídque non alio conſilio, quàm ut omnibus, quibus ingenio & eruditione longè inferior ſum (quorum hic magnus eſt numerus) exercitationem aliquam, tanquam argumentum proponerem, quo tractando magnam omnibus voluptatem, multis atque adeò etiam plurimis utilitatem non par-

parvam afferre poſſent. Ne dicam interim, quod non minimum fuit, amicis, multíſque vehementer id à me flagitantibus, imò etiam tanquam debitum officium exigentibus, morem gerere voluiſſe: & dum hæc meditor, magnum in aleam odium concitare, atque in alia potius omnia, omnium volũtatem inducere, quàm ut illam, in libidinem tam exitioſam & impiam ruere etiam ſinant. Sed quoniam cognita mali natura & cauſa, facilius eſt, tanquam in morbo, curationem adhibere, ut rem ipſam aggrediamur: primùm, quod omnis à recta ratione ſuſcepta de re aliqua inſtitutio facit, quid ſit Alea definiemus: deinde, unde hujuſmodi in hominibus cupiditas oriatur: & quid illam alit, ac majorem facit: tum quos producere effectus ſoleat: poſtremò, quæ cognata ſibi, quæ pugnantia ſint, exponemus. Atque

que ut naturam ejus de quo dicturi ſumus intelligatis, non quod quidam natalitiis diebus quotannis facere hic ingenioſe magis quàm utiliter & magno cum applauſu ſolent, & multi fecerunt chartularum, talorum, teſſerarum, latrunculorum, aut eorum qui fritillo, veteribus etiam in uſu, exercebantur, ludum, aut ludendi modum & rationem aliquam vel quæſtionem & controverſiam, inter ludendum fortè natam, evolvemus: ſed potius cupiditatem ipſam, quæ in animis inſita, latè ſe diffundit, explicabimus. Ut enim avari qui ſunt, ex quovis inſtituto omnem lucri & quæſtus faciendi occaſionem, tanquam inſtrumentum cupiditatis exercendæ ſuæ, gnaviter arripiunt: ita etiam aleatores avidi, omnem in quo ſors dominatur, & pecünia ponitur rationem & ludum, tanquam effrenati motus ſui materiem & inſtrumen-

ſtrumentum, ſua ſponte capiunt. Sed de veris aleæ cauſis, poſtea dicemus.

Eſt igitur Alea, effrenata quædam ludendi in pecuniam cupiditas, animoſa creduláque ſpe lucri flagrans, vel: Eſt gravis quædam, & diu manens animi affectio, quæ vitioſa futuri ex ducta ſorte boni opinione conſtans, effrenata quadam & exultante cupiditate ad ludendum concitatur. Ex quo primùm illud patet, minimè de illis hic agi, qui immoderatè alea non abutuntur: hoc eſt, qui vel iis ludis, in quibus ratio & conſilium valet, ingenii exercitatione tantum incumbunt: vel qui, ut labores leniant, animos recreent, atque ocium conſumant, quovis ludi genere, ludo contendunt. Sic enim affecti, quavis occaſione & cauſa facile deſiſtunt, neque ullum in ipſis manentis cupiditatis, aut perturbati animi ſignum apparet, ſed ludo ſicut

ſomno

ſomno & quiete utuntur. Verùm de illis tractari, qui credula quadam ſpe, ſtultáque fiducia elati, magna & inſatiabili cupiditate teſſeras aut talos jaciunt, cartulas ſortiuntur, denique quoſvis ludos qui temeritate & caſu conſtant incredibili ſtudio dies noctesque anheli perſequuntur: ac, quod ſanctiſſimis legibus & ſenatuſconſulto eſt vetitum, in pecuniam ludunt, & ſponſiones faciunt. Quorum quidem animos, quòd damnoſa vehementer & ſtulta demènſque opinio, ſine ulla ratione aut cauſa concepta, tum etiam gravis boni error occupat, argumento eſt: quòd quibus in rebus caſus & fortuna dominatur, ſua quadam fallaci & juveniliter exultante fiducia certum aliquid promittere aut ſperare audere, ſtultiſſimum eſt. Nunquam enim temeritas cum ſapientia commiſcetur, nec ad conſilium caſus admittitur;

tur: ſed ſtulticia atque ignorantia, audaces & temerarios homines facit. Deinde, ut optimè res cadat, cum ſine alterius incommodo ſuum augere commodum, ſine maximo ſcelere, nemo poſſit, immò ne aſpirare quidem ad alienas pecunias abſque culpa queat quiſquam: quod bonum communi errore & conſuetudine ſic omnes putant, id in maximum illis malum & detrimentum cedit. Quod verò alacri & exultante quadam cupiditate præditi, multum ab avaricia paupere ſordidáque diverſa, omnes hoc aleatores agunt, indicio eſt: quòd cum pro conditione & fortuna, pro ſtudiorum & cupiditatis magnitudine, precium omnes in medium conferant: tum ſæpe miniſtris aliiſque adſtantibus, magnam adeò & de ſymbolo, & de lucro pecuniam, largè effuſéque donant, multi ut paucis annis ad non contemnendas fa-

cultates eo nomine pervenerint. Quinimò ſi ab aleatore nobili, qui carius paulo ludere conſuevit, ut gratis aut parvula etiam pecunia ludat poſtularis: profectò valde illi moleſtus fueris, nihil enim magis invitus obibit, ne ſi certo quidem quæſtu & lucro facere id credat. Sed cum variis diverſiſque cupiditatibus omnes homines moveantur, omneſque ſuas appetitiones maximè pecunia expleri poſſe putent: hanc communem pecuniarum aviditatem, ſi jaciendę ſortis magna cupiditas, adipiſcendique ex ea lucri confidentia & ſpes credula excipiat: tum demum pręceps & pernicioſa perficitur alea, & inflatos ſui fiducia homines præcipuè ad ludendum impelli videmus. Quam quidem aleam nec ſola pecuniarum cupiditate, nec præcipuè conſtare, vel hinc abunde eſt manifeſtum: quòd nemo hominum quiſ-

quam

quam eſt, qui, quamvis ei magna miſeráque pectus avaricia ferveat, ſi jacta ſorte detrimentum aut damnum ſe facturum eſſe certò ſciat, vel plus metuat etiam, non quidvis potius faciat, quàm in eo ludo ut verſetur, quem malo ſibi futurum eſſe timeat. Ut enim ſpes ſummè concupiſcit, ita contrà timor maximè declinat. Jam periculum & diſcrimen ſubire, ſortem experiri, omnia denique fortunæ ſubiicere, non cupiditatis & avariciæ, ſed confidentiæ, inconſiderationis & temeritatis ſunt ſigna. Quæ quidem ita confidente cum ſpe conjungi ſolent, vix ut ab illa ſeparari poſſint. Et quamvis ferè ingentem cupiditatem comitari etiam ſoleant, ſunt tamen ab avaricia timida ſordidáque multum diverſa. Ut igitur ille qui vulgo appellatur amor, niſi cum ſpe credula magni boni, cum qua naſcitur alitúrque, pe-

quod re & fama fecit maximum, cogitabat. Nimis enim propter ingentem cupiditatem & deſiderium, hujuſmodi hominibus perturbata mens eſt. Atque ut in corporis doloribus accidit, quorum qui maximus eſt, aliorum ſenſum omnem occultat: ita etiam in animi affectibus idem fieri conſtat. Omnem enim aliam cogitationem & ſenſum, vehemens cura deponit. Sed non uſqueadeò mirum eſt, ſi qui tranquillo tempore imperare ſibi non poſſunt: iidem damni tempeſtate ventíſque oppreſſi, ultima tentant. Illud potius admiratione dignum eſt, multos adeò inveniri, qui cum affectus magnitudinem & vim ſæpe ſenſerint, cúmque multis modis exitioſum eſſe, & re ſæpe ſint experti, & palàm confiteantur: ideóque quidvis potius facere, quàm ludere adhuc velle dicant, & conentur

ſedulò:

ſedulò: tamen quaſi vi coacti ſint, ita ne cupientes quidem abſtinere poſſunt. Unde clara & pervulgata, ſed fracta & abjecti animi voce, cum Medea omnes exclamant:

—Video meliora, probóque,
Deteriora ſequor.—

Ut non ſine cauſa * proverbiali ſermone ab Hiſpanis dictum eſſe judicem, & nunc etiam à Græcis crebris ſermonibus uſurpari, ὁ μὲν ποτε παίξας, πάλιν παίξει: hoc eſt, Aliquando qui luſit, iterum ludet. Nec miremini. Memini enim, cum in Hiſpaniis eſſem, apud pręclarum virum Cardinalem Poggium, ſummi Pōt. ad Hiſpaniarum regem legatum, multos tum ſæpe, qui propter impotētiam & damni magnitudinem, certámque ſi perſiſterent, perditionem, ſanctiſſimo

* *Hiſpani ſic dicunt, Quien jugò, jugarà: Aliquando qui luſit, iterum ludet. Huic non diſſimile: Semel malus, ſemper malus.*

mo jurejurando jurarant, maximáque religione ſe obſtrinxerant, nunquam deinceps in alea luſuros eſſe: nihilominus pòſt paulo, contempta fractáque fide, & violata religione, magna etiam numerata pro diplomate pecunia, tranſgreſſi juramenti & impietatis veniam petitum à legato veniſſe. Alios, qui cum adhuc religione & promiſſo tenerentur, neque perſiſtere ullo modo poſſe, propter ingens deſiderium, animíque impotentiam viderent: magno etiam ſoluto precio ut jurisjurandi fidem eis abrogaret, injuncto pro eo pio munere alio, obtinuiſſe. Atque horum omnium non exiguus fuit numerus. Verùm, ut cum Virgilio exclamare hic mihi liceat, neque enim continere me poſſum:

Heu vatum ignaræ mentes: quid vota furentem,

Quid

Quid delubra juvant? eſt mollis flamma medullas.

Ad hæc, hoc etiam accedit, maximum perturbationis maximæ & concitatæ voluptatis ſignum: quòd omne ludentibus tempus, quamvis id longum fuerit, breviſſimum videtur, frequentes enim ſunt, qui cum biduum, aut triduum etiam, abſque ulla intermiſſione in alea luſerint: tamen interea, quantum percipere poterant, vix horam effluxiſſe dicerent. Immò etiam ſunt, qui & ludendo cibum capiunt, & naturæ neceſſitati dum concedunt, ne interea brevi temporis momento à ludo abſtineant, oſtendi ſibi cartulas jubent: uſque adeò immenſa illos cupido vexat, & indigna hominis præſtantia voluptas occupat. Atque ipſe vidi nonnullos, qui cum ad ludendum in alea cupidè ad amicum veniſſent, & tum fortè, ut fieri ſolet, nullo

nullo modo teſſeras invenire ibi poſſent: quo tamen cupiditatem explerent ſuam, conducto precio aleone, qui vicino ex loco, ſemoto tamen, voce teſſerarum jactus effingebat atque enunciabat, numeros, (cauſam vulgò vocant) hos enim facta digitorum * micatione ipſi inter ſe ſingulis dabant, totam noctem magna pecunia ſortiti ſunt. Sed nec defuere, qui dentibus & ſuperciliis luſiſſe viſi ſunt: ſicut & ipſe Venetum, qui in uxorem ſuam luſerat, vidi. Immò etiam inventus eſt, in quo tanta ludendi appetitio & veſana cupido ac voluptas fuit, ut moriens (quaſi parum fuerit, in vita luſiſſe) teſtamento religioſe caverit, ut detracta cadaveri ſuo cute, oſſibúſ-

C que

* *Micare digitis, Itali giocare alla morra vocant. quod fit, cum duo, pugni unius digitos quot volunt, eodem tempore explicant, atque ita ſibi numeros ſortiuntur.*

que omnibus exemptis, ex his teſſerę fierent : ex illa verò, membraníſque omnibus, menſa, alveolus, fritilláque, quanta fieri poſſet diligentia, contegerentur: nimirum, ut quod vivus libentiſſimè factitabat, mortuus etiam, quantum poſſet, obiret. Et multos quotidie videmus, qui cum totam vitam ſtrenuè in alea & chartulis luſerint, tum morientes, nihil præter eas, quas inter ludendum voces & verba proferre ſoliti erant, furioſe proloqui. Quæ omnia, quid aliud nobis quàm affectus maximi vehemētiam, intimis in pectoris viſceribus inſitam, contumacem, rebellē, & vix extirpandam indicant; Verùm exempla infinita ſunt: neque quenquam nobili & celebri loco educatum eſſe puto, qui non multa ex his illuſtriora audierit & viderit ſæpe. Omnis enim hominū vita plena eſt, atque omnis vitæ conditio referta.

Cæte-

Cæterum unde hæc tanta in nobis ludendi cupiditas atque impotentia naſcatur, quæque eorum quæ diximus cauſæ ſint, conſiderandum, inquirendúmque venit. Ac primùm quidem, quod de affectibus omnibus veriſſimè dicitur, proprias illorum cauſas eſſe, res objectas ſenſibus, & cor: id verò etiam de hac noſtra ludendi cupiditate, ſimiliter in genere dici poteſt. Omnis enim affectus partim à re objecta, partim à corde proficiſcitur. Atque ita natura comparatum eſt, ut pro cogitationis æſtimatione & motu, cor, affectionum omnium organum & ſubjectum, ſuo impulſu impetuque res omnes vel appetat, vel declinet. Sed tamen quia multum refert, quale ſit cordis, quale ſanguinis & ſpirituum temperamentum: nos hic propius aliquanto aleæ cauſas inſpicere, ac qualis ſit aleatorum temperies,

quantum fieri poterit perquirere operæprecium duximus. Prius tamen paucula quædam, ut propoſitum eſt, de aleæ cauſis dicemus, à finali cauſa exordium ſumentes.

Multæ & variæ in hominibus non avariciæ modò, quæ ab imbecillitate potiſſimùm naſcitur, ſed multo magis luxurioſarum cupiditatum cauſæ ſunt. Nam vel delectat vitæ cultus, cum elegantia & ſplendore: libenter enim bene & in luce victitamus, vel benefici in amicos atque alios eſſe volumus: vel pro tempore, natura & ætate, aliquid aut admiramur, aut optamus, aut expetimus, quod aſſequi, bonum, pulchrum, delectabile putamus. Unus tamen omnium finis præcipuus & ſcopus eſſe videtur: avariciæ nimirum, miſera pecuniæ poſſeſſio: luxurioſarum cupiditatum, ſui expletio & voluptas. Ac tales cupiditates in juveni-

bus

bus maximè conſpicere licet. Ut enim Ariſtot. ait, οἱ μὲν νέοι τὰ ἤθη εἰσὶν ἐπιθυμητικοὶ, καὶ οἷοι ποιεῖν ὧν ἂν ἐπιθυμήσωσι: id eſt, Juvenes valde concupiſcunt, & quod concupiſcunt, explere conantur. Verum quia omnes, non ſolùm maximè pecunia, quæ ſunt ad vivendum neceſſaria omnia parare, ſed etiam cunctis cupiditatibus maximè obſequi poſſumus, (illa enim duce, quacunque cupiditates rapiunt, ire licet: immò etiam ſine illa fruſtra conamur) ideo etiam omnes potiſſimum pecuniæ ſtudio tanquam proprio fine teneri videmur, etſi longè id aliò referamus, & ſæpe (ſicut Philoſophus de juvenibus ait) φιλοχρήματοι ἥκιστα, hoc eſt, minimè pecuniarum avidi ſimus. Nam hi quidem, etſi pecunias ſubinde vehementer expetere videntur, tamen id non, ſicut avari, ultimo vel præcipuo fine faciunt: ſed

medio potius, cum explendis cupiditatibus illas quærant. Ita enim Terentius adoleſcentes amoribus indulgentes, magnis ſtudiis omníque induſtria argentum, meretricibus quod donent, quærere, atque illo ſenes emungere ſcribit. Atqui ita etiam ſæpe in alea contingit: quam quidem certè nemo, quin propter lucrum & pecuniam proximè exerceatur, negare poteſt: eſtque, ſi non aleæ, certè omnis ludi, de quo nos loquimur, proprius finis pecunia, & lucrum. Sed tamen hic plerumque ab alia cupiditate ſtimulatur. Videmus enim ſæpe multos, quia rem aliquam valde concupiſcunt, ut comparare ſibi illam poſſint, in pecuniam ludere. Itaque duplex ferè eſt aleæ finis: medius unus & proximus, qui quidem pecunia eſt: ultimus alter, qui voluptates, luxum & vitæ commoda reſpicit. Nam flagitioſos

aleato-

aleatores & multis cupiditatibus multíſque vitiis implicitos omnes eſſe, poſtea demonſtrabimus. Sed jam, ſive propter ſe, ſive (quod ſæpius fit) propter aliud, ludus in pecuniam exerceatur: quæ ſit præcipua & quaſi formalis cauſa quæ hanc in hominibus miſeram cupiditatem potiſſimùm nutrit & ſervat, expendamus.

Quòd igitur pecuniarum cupiditatem qualemcunque, ſive mediam atque aliò relatam, ſive, ut diximus, præcipuam & poſtremam: eámque ſive à natura inſitam, ſive ex conſuetudine, vitio, vel quavis alia cauſa acquiſitam & auctam, multi adeò dubio & damnoſo bonorum ſuorum periculo, hoc eſt ludo ſortibúſque, magno & ſolicito ſtudio explere properent: ejus inquam, ejus pręcipuā & formalem cauſam eſſe judico, quam Græci εὐελπιςίαν, nos bonam & con-

fidentem ſpem vocamus. Hæc enim ſi cum pecuniarum aviditate qualicunque in hominum animos invadat, mentémque inficiat atque occupet, tum demum compoſitus ex ambobus affectus, alea, non ſecus atque amor Cupidineus, ex cupiditate & ſpe naſcitur, alitur ac perficitur. Sed cum omnes cupiditatis pecuniarum magnam partem, quibus dixi cauſis habeamus, (ſunt enim voluptatum, omniúmque rerum quæ ad uſum vitæ pertinent, miniſtræ) neque tamen omnes in aleam proruamus, aut proclives ad ludendum ſimus: certum eſt, ludendi in pecuniam cupiditatem, credula ſpe & ſortis proſperæ fiducia potiſſimùm conſtare. Quod vel hinc abunde liquet, quòd multos videre licet, qui cum rem aliquam, utputa veſtem, annulum, aut equum ſummè concupiſcant: tamen ſi emere poſſint,

ſint, ne precium de ſuo numerent, valde recuſant: ſi verò in eandem ludere conceſſum ſit, libenter faciunt, & quidem ſi dimidio propè carius ponatur, quam prius æſtimaverint. Atque eò uſque fiduciæ, vel potius dementiæ multi devenere, ut quod opus ſibi eſſe vident, cum de ſuo comparare pigeat, id ſibi ex ludo pulchrè affore, ſecurè admodum promittant. Eſtque ea animi inductio in multis, frequens ad ludendum cauſa. Alii, quod ſtultum eſt magis, colluſoribus minus concitatis, etiam pecunias largiuntur, quò ſponſiones ampliores facere velint: utpote, ſi quatuor nummos promere ac ponere inter ſe convenerit, decem ut conferant, duos illis de ſuo donant. Quo certè nihil poteſt eſſe inconſideratius, nihil ſtultius, nihil amentius. Non enim ludere tales homines, ſed profundere palàm, & diſſipare ſponte

tc

te ſuas facultates videntur. Quę quidem omnia, ſola ſpe credula proſperæ ſortis,ſtultáque confidentia fieri, nemo ſanus negabit: quam quidem ſpem nimis animoſam, ut opinationem inhærentem & penitus inſitam, ſi minuere & labefactare, vel potius ſi excutere ex animis,atque in timorem convertere poſſimus,proculdubio omnis effrenata injurióſáque ludendi appetitio labaſcat,totáque ex animis expellatur atque exturbetur. Quod quo commodius & intelligi & fieri poſſit, unde illa in nobis ſpes bona excitetur dicendum eſt,ac quæ ſit Aleæ cauſa efficiens exponendum: præſertim cum ex eodem ferè fonte, cognata ſibi cupiditas omnis vehementior naſcatur.

Itaque εὐελπισίαν hanc à naturæ caliditate largiore inſitam in nobis eſſe, quæ uti vinum homines exuſcitat, erigit, & exultare animis facit, Ariſto-

Ariſtoteles author eſt: qui cùm multis locis, tum Rhetoricorum libris de juvenum natura & moribus loquens, ſic ſcriptum reliquit: καὶ, ἔφη, εὐέλπιδες. ὥσπερ γὰρ οἱ οἰνωμένοι, οὕτω διάθερμοί εἰσιν οἱ νέοι ὑπὸ τῆς φύσεως. hoc eſt: Juvenes bona & confidenti ſunt ſpe, natura enim incaleſcunt, non aliter atque vino poti. Appoſita ſane, atque Ariſtotele digna ſententia. A naturæ abundante calore ſpem bonam, tanquam à vino proficiſci ſcribit. Neque verò vinum alia cauſa, ut Horatius inquit,

Spes jubet eſſe ratas:

Quam, quia cum afflatu & motus aliqua vehementia calidiores homines facit. Neque ſolum calor εὐελπιστίαν, ut vinum, generat: verumetiam ſi copioſus magis exiſtat, perinde atque vinum, & deſipere homines facit. Quod quidem Ariſtoteles, & multo clarius (ut omnia) Galenus,

nihil Ariſtotele in cognoſcenda natura hominis inferior, diſertè declarat. A calore enim, inquit, nimio cerebri, abſque vitioſa humoris qualitate proveniens deſipientia, ſimilis eſt ei quæ ebrietatis eſt. Quare rectè & propriè Ariſtoteles gradus diſtinguens, εὐέλπιδες non ὥσπερ μεθύοντας, id eſt ebrios, qui accenſi prius vino mox inflammati, deinde aucta adhuc largius menſura, frigidi etiam evadunt: ſed ὥσπερ οἰνωμένους, hoc eſt, vino potos, non obrutos atque immerſos, διαθέρμους eſſe dicebat: videlicet, ſecundum illum Anacharſis vini craterem, aut Ennii eloquentem potum, arma cantantem, vel etiam Horatii generoſum & lene vinum, quod ad mare veniens requirebat, intelligens. De illo enim ait:

Quod curas abigat, quod cum ſpe
divite manet.

Nam hoſce vini aut caloris gradus qui

qui excedit, ſtulticiam & furorem concipit. Verùm ut hæc Ariſtotelis ſententia, & ſimilitudo, adeóque tota res, melius intelligi poſſit: vini in homine effectus, quos multum pro menſuræ modo diverſos facit, audire ex ejuſdem ſententia operæpretium puto. Vinum itaque, inquit, liberalius paulo ſumptum, primùm frigentem & taciturnum, ad verba excitat: deinde largius potum, verborum uberem, eloquentem, fidentémque ſibi reddit: tum amplius etiam auctum, audacem, atque ad agendum propenſum facit. Mox creſcentibus adhuc poculis, in contumeliam & petulantiam inducit. Poſtea verò etiam tum ſi augeatur, inſaniam generat. Poſtremò, copioſo & nimio potu reſolvit, ſtulticiamque producit. qualis eſt puerorum qui morbo comitiali conflictantur, aut eorum qui vitiis atræ bilis majo-

rem in modum detinentur. Et paulo pòſt ſubjungit: Qualis eſt vinolentus hic, talis quiſpiam alius factus eſt à natura. Suntque qui in ſingulis morum generibus uſque adeò invaluerunt, ut aliorſum commutari nequeant. Et quidem jam facile eſt colligere, cum magna in aleam inclinatione, naturę vitio multi ferantur, adhæc exercitatione aſſuefacti cum ſint, cur fere nunquam, ſemel imbuti conſuetudine, deſiſtant: tum etiam, quare rem ſuam non tam ludere, quàm profundere, multi videantur. Nimirum, quia ut naturam mutare, magnóſque ejus motus atque impetus coercere & continere, omnibus difficile eſt: ita delabi ad propinqua finitimáque vitia, non minus quàm præcipitantem impellere, aut jacentem urgere, promptum eſt ac facile. Ut enim omnes in ſimiles cognatóſque naturæ & corpori

corpori noſtro morbos facilè incidimus: ita etiam convenientes animi affectus, congruentiáque vitia celeriter capimus. Quare etiam, ſicut poti jam largius vino, citò in ebrietatem incurrunt: ita etiam luſores natura vitioque calidi, nullo negotio accenduntur, celeríque momento, amiſſione ſcilicet parva aut damno commoti, tanquam ex fumo flammam concipiunt. Itaque ergo commotis & concitatis animis, ac ratione, domino qui regere & continere illos debebat, prius imbecilli ac languido, tum planè oppreſſo & ſuperato: ut Poëta canit.

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Atque hinc eſt, quòd ſæpe irritati de ſorte adverſa aleatores, non ſecus ac pueri, qui placentam, quia portiuncula ex ea ablata ſibi ſit, totam deinde proiiciunt: ita etiam reliquam

ſibi in ludo pecuniam proiicere tum planè, inconſultè ac temerè videantur. Et quidem à me obſervatum eſt, non ſolum poſt pocula, magis ad ludendum promptos atque alacres animos hominum fieri: verumetiam, ferè quos vidi ad aleam procliviores omnes, tota corporis habitudine, manifeſta caloris indicia commonſtraſſe. Atque hinc eſſe puto, quòd Hiſpani calidiores homines, omnium quos novi & maximè ludunt, & natura ad ludendum maximè ſunt propenſi. Quod ideo de illis prædico, ſi qui fortè, ut generoſi & confidentis animi laudem, invidere hoc illis videantur: quia jam diu longè latéque Hiſpanias luſtranti mihi ſæpe contigit, ut cum multis locis nihil eorum quæ ad victum faciunt, non panem, non vinum, invenire poſſem: tamen nunquam caſtellum aut vicum ullum adeò abje-

ctum

ſtum & obſcurum tranſire potui, in quo non cartulæ vænirent. Quod quidam in aula Regis, non parvi nominis mercator, callidè advertens, magna cura ſummóque ſtudio & diligentia ab Imperat. Carolo Aug. contendebat, nemo ut in Hiſpaniis decennio, præter ſe, tabellas diſtrahere poſſet. quod cum beneficii gratiæque cauſa obtinuiſſet, ita prædives deinde factus eſt, facile ut tum cæteris negotia ibi gerentibus hominibus, magnis opibus & potentia præſtaret. Verùm ne longius argumenta petamus: nonne & ex frigore timor mœſtus, imbellis, ſuſpenſus, & ſui parcus naſcitur? idéoque etiam rectè ipſum poëtæ timidum, ſicut rurſus timorem frigidum, vocant. Id verò ut omnium hominum, ita etiam pecudum reliquarúmque beſtiarum ſexus, temperies, ætates & regiones quæ ſibi quoque ſimiles homines

procreant, ſatis indicant. Ipſeque Ariſtoteles ait timorem refrigerationem quandam eſſe: ſpem verò à fervente rapidóque calore naſci. Itaque etiam inter mulieres, ſi qua eſt valde ad aleam proclivis, eam ferè viraginem, & multo regioque ſpiritu conſpicuam videmus: & verò etiam (nam propinqua eſt cognatio & facilis ad ſimilia lapſus) ante alias amore ſævo, qui & ipſe calor eſt, & generoſa invadit pectora, facilè ſauciari: aliiſque item rebus omnibus, quæ in animi magnitudine poſitæ ſunt, quaſi quoddam virile robur præ ſe ferre. Atque hinc etiam eſt, quod optimo quiſque ac ſplendidiſſimo ingenio, facilè affectu iſto, ut iracundia, omníque mentis fervore, efferatur, longiúſque accenſus feratur, quàm temperato conveniat. Nam præterquam quòd rectè Virgilius argumentatus eſt, de novo hoſpite.

Credo

Credo equidem, nec vana fides, genus eſſe Deorum:

Degeneres animos timor arguit: hoc etiam Plato diſputat, ingenioſos homines concitatos ac furioſos plurimùm eſſe ſolere: & ab eodem, ac Demetrio in ſcriptis relictùm eſt, neminem bonum poetam ſine inflammatione animorum exiſtere poſſe, ac ſine quodam afflatu quaſi furoris. Galenus etiam libro de Natura hominis, bilioſis temperaturis animi dexteritatem & prudentiam tribuit. Nam quod Ariſtoteles ait, Ingenioſos & excellentes in omni arte & quavis ſcientia viros, omnes melancholicos eſſe: id verò etiam huc vel in primis eſt referendum. Non enim ſimpliciter hoc dixit, quaſi de ſicca frigidaque natura, quæ ad omnes animi & corporis habitus atque uſus maximè inutilis eſt: ſed de naturali & temperatè calida me-

lancholia, quæque optimam accepit habitudinem, loqui ſe planè & apertè demonſtravit. Melancholia enim cum omnes caliditatis frigiditatíſque ſummos gradus, ut aqua, recipere poſſit: quemcunque ſortita eſt habitum, propter firmitudinem, motumque naturalem, conſtanter continet, & fortiter admodum ac continenter propellit. Ideòque rectè illam vino, quod velut æſtu vibrare ac fluctuare videtur, & maximè etiam varium eſt, comparat. Nam & illud calore, ac ſui motus vehementia, maximè naturam hominis excitat atque explicat. Quæ ſi per ſe optima eſt, tum verò velut afflatu percita, præcipuè inſignis & excellens evadit. Rectè enim in Meleagri epigrammate ſcriptum eſt,

Αἱ νύμφαι τὸν βάκχον, ὅτ' ἐκ πυρὸς ἥλαθ' ὁ κοῦρος,
Νίψαν, ὑπὲρ τέφρης ἄρτι κυλιόμενον.

Τοὔνεκα σὺν νύμφαις βρόμιος φίλος, ἢν δέ νιν εἴργῃς
Μίσγεσθ', δέξῃ πῦρ ἔτι καιόμενον.

hoc eſt,

Bacchus ut è flammis puer exiliiſſet, in undis
Tinxerunt Nymphæ, ſordidum adhuc cinere.
Hinc junctus Nymphis eſt Bacchus gratus. At ignem
Ardentem capies, hunc niſi miſcueris.

Tales igitur corporis habitus, ut ferrum ignem continet, diutius acriúſque urentem, & veluti motu quodam fluctuantem: ita calorem habent aliis acriorem, quique continuo velut Euripi motu impetuque ſpiritus exuſcitat, excitatus alacriores firmioréſque ad res gerendas facit. Quod quo magis intelligi poſſit (nam

(nam ad propoſitam rationem pertinet, & latè præterea patet: animus enim ipſe multum è corpore ſumit, ab eóque immutatur: atque ut morbi, ita etiam mores, ut eſt veriſſimè à Philoſophis & Medicis dictum, corporis temperiem ſequuntur) pauca quædam de varia temperamentorum natura dicemus.

Qui bile tantum copioſa concitantur, magno illi quidem animi impetu moventur, ſed ferè repentino, ac quaſi vento mox deficiente. Illud enim ferè hujuſmodi homines habent, quod apud Homerum in Agamemnone Achilles vituperat, canibus ſimiles ſunt: in laceſſendo quidem procaces ac petulantes, verum icti mox fugiunt. θρασύδειλον enim vocat: hoc eſt, audacem & temerarium in provocandis aliis, at parum in dimicando conſtantem. Cui non diſſimile eſt quod in Gallis Livius

Livius & Iulius Cæſar obſervarunt: quorum ille, prima illorum prælia plus quam virorum, poſtrema minus quam fœminarum eſſe dixit: hic, Ut ad bella ſuſcipienda Gallorum alacer ac promptus eſt animus, ſic mollis ac minimè reſiſtens ad calamitates perferendas. Atque hinc illud, quod Italis frequens in ore eſt, Furia Franceſa, natum puto. Contrà verò melancholici ſe habent. illi enim ubique graves & firmi, conſtanter fortiſſiméque in omni propoſito perſeverant: tum quia tumidi & inflati ſunt, latêre in occulto nequeunt, ſed in omni habitu inter alios ut emineant appareántque neceſſe eſt. Atque hinc ille nigrorum & calidorum hominum faſtus, veſtitus & inceſſus gravis, omniáque dicta ac facta turgida & ventoſa naſcuntur: hinc illa de ſe bona exiſtimatio, qua nimis ſeſe

ſeſe diligunt, & præ ſe alios contemnunt, venit. Nam melancholicos eſſe, præter alia multa, declarat frequens in illorum civitatibus melancholia morbus. Et una eſt in Hiſpaniis Cæſarauguſtæ domus (horum enim natura proximè ad melancholicos iſtos accedit) in qua multi adeò qui valetudinis vitio furunt, commorantur: ut non ſolum totam civitatem mira lamentatione, vario plangore & fremitu conficiant, verumetiam totam Hiſpaniam mirandis ſuis dictis ac factis compleant. Alius enim ibi Imperatorem ſe dici & eſſe contendit ſeriò: alius, qui mitram geſtat, ſummum Pont. Itaque crucis ſignò hominibus benedicit. alius belluam immanem, & catenis conſtringitur. immò etiam quidam milii ſe granum putat, qui à gallinis vorari metuens, illas quantum poteſt & fugit & odit. Sed quod in

* media temperamenti, valetudinis, morum, humorúmque latitudine diſcrimen eſt, quoniam maxima omnium in ea multitudo continetur, neque ideo inſigniter ab eo quod eſt frequentiſſimum differt, minus apparet. Quæ verò in extremis eſt differentia, ea vel nolentibus nobis ſeſe offert. Nam qui melancholici ad frigidius multum deflexerunt, timidi manifeſtè conſpiciuntur, mœſti præterea & obſcuri ac tenebricoſi, nulliſque ad heroicas virtutes ſtimulis aut motibus incitati: quin imò ſæpe moleſtiæ anxietatéſque ſponte ſine ulla cauſa multis oblatæ, adeò ſubinde augentur, ut juvenes adhuc, ipſi ſibi mortem conſciſcant. Senes enim ante tempus ſunt. Itaque

* *Hoc ſolo argumento Ariſtot. ingenioſos melancholicos eſſe probat. Cic. in Tuſc. enumerat multos: idque quaſi conſtet, rationem cur ita fiat affert.*

ferè vel Heraclito Epheſio, obſcuro & confuſo ſcriptori, ut Theophraſtus ait, vel Timoni Athenienſi miſanthropo, vel Homerico illi Therſitæ aut Bellerophonti ſimiles evadunt. Quod ſi autem ex adverſo caliditate nimia adurantur: tum verò effrenatos præcipitéſque & inflammatos furores inſaniáſque, tragici illius Oreſtis aut Athamantis ſimiles, concipiunt: & vel Empedoclem, qui furens in Ætnæ voragines inſiliit: vel Marium, qui delirans, expeditiones præliáque fingens, pugnantis geſtu, plangore & ſtrepitu omnia complebat, repræſentant. Verum ut quæ à moderatione naturali longè recedit melancholia, omnium maximè depravatos animorum motus excitat, adeóque propellit, ut tanquam ex tormentorum pulvere vehementiſſimo impetu agitari videantur: ita quæ moderatè calida æquabiliſ-

que,

que, optimum nacta eſt habitum, eundem pari modo ſumma bonitate præſtantiáque conſpicuum reddit. Quibus enim in rebus nimium & parum reperitur, in iis etiam relinquitur mediocritati locus. Atque hæc illa eſt melancholia, quam excellentibus ingeniis, omnique præſtantia præclaris viris Ariſt. tribuit. hęc ille ἐνθουσιασμὸς, ac Poëtarum inflammatio & furor eſt: ad cujus naturam ſi, ut M. Catonis, ita etiam Tullii Ciceronis ingenium declinaſſet, certè non ita levitatis inconſtantiæque infamiæ, vir ſua virtute clariſſimus, ſubjectus fuiſſet. Atque hæc quidem optima & naturalis eſt melancholia: quæ in quibus (ut in multis degenerat) paulo calidior evaſit (nam magna utrinque ad extrema ſunt ſpacia) ii vero etiam tum maximè, omni cupiditate animique ſecuritate inflati elatique (quod Ar-

chelao regi Macedoniæ uſuveniſſe accepimus) majorem in modum ſibi confidunt ac ſperant. Calor enim, ut Ariſtoteles ait, qui eam animi ſedem obtinet quæ rationis eſt particeps & ſperat, facit ut ſecuro animo ſimus. Atque hæc omnia huc ſpectant, quemadmodum extremos ſumméque vitioſos animorum motus, à maximè depravatis & corruptis humoribus, quíque à ſua æquabilitate quam longiſſimè dimoti atque immutati ſunt, excitari, facilè omnes etiam indocti, propter ingentem à latitudine media tranſitum aut defectum, videmus: ita quæcunque parum à ſua temperie & naturali habitudine recedunt humorum temperies & differentiæ, ſimiles etiam ſibi, pari quo ab optimo habitu diſcedunt intervallo, diverſos motus generant. Qui tamen quoniam ampla multiſque communi latitu-

latitudine continentur, niſi à peritis, & iis qui in perſpiciendis multorum hominum moribus & ingeniis eruditi ſunt, diſcerni ſubtiliter nequeunt. Atqui hoc inter omnes intereſt, quòd qui motus atque animorum affectus modum tranſeunt ac deſerunt, ſunt omnes in vitio, at ſi parum modum deſerant, leviter: ſi aliquanto majore intervallo, gravius: in magno quodam inſigníque ſpacio, vehementer ſunt reprehendendi. Et quemadmodum morbos qui generant humores & cauſæ ſimilia ſibi ad menſuræ quantitatem, proportione reſpondentia remedia poſtulant: ita etiam, & vitiis & animorum affectibus, aliis levis, aliis vehemens curatio ex uſu venit. Rectè enim ab Horatio dictum eſt:

— Animum rege: qui niſi paret,
Imperat: hunc frenis, hunc tu compeſce catena.

Quæ quidem ideo etiam à me prolixius dicta ſunt, ut non ſolum ex prava cōnſuetudine, quod multi putant, in ludendi hanc immenſam libidinem incidere homines intelligatur: verum etiam multo magis, maximis à natura vitioſa incitamentis & ſtimulus concitari. Ut enim alius ad alium morbum temperie ſua propenſior eſt: ſic alius ad alia vitia, naturâ proclivior. Quorum qui rationem noſcere atque obſervare didicerit, is ſane non multum à curatione alienus fuerit. Nam ut in corporis ſanitate tuenda, plurimum refert corporis ſui habere noticiam, atque ab iis abſtinere omnibus quæ corporis illam ad quam propenſa eſt intemperiem augere poſſint, ita etiam in animi affectibus idem rectè obſervatur: atque illa omnia rectè fugimus, quæ inclinantem animi affectionem alere vel augere poſſint.

Sed

Sed potius in contraria omnia totis viribus connitendum, undequaque enim veriſſima eſt Hippocratis ſententia: Contraria contrariis remedia ſunt.

Verùm etſi difficile eſt, immò fieri nullo modo poteſt, ut naturæ & elementorum vis, ac præcipuè mixturarum exacta qualitas quantitaſque penitus tanquam oculis cerni, aut tanquam in libræ lance poni & ponderari poſſint: (quod qui fieri & ſe conſequi poſſe putarunt, graviſſimas ſtulticiæ ſuæ pœnas dependerunt. Inde enim chalcomyſtorum damnoſæ ſolicitudines exortæ: deinde etiam Eraſiſtrati medici ſtulticia nata, qui ſibi auſcultantibus immortalitatem promittebat, & aliorum complurium multi conatus irriti:) tamen caliditatem hanc, εὐελπιςίαν quæ generat, à qua quidem aleam hanc noſtram ſuſcitari prȩcipuè diximus,

mus, non cujuſvis ego caloris aut ſanguinis melancholici eſſe judico: ſed tamen vinoſi, hoc eſt halituoſi, & veluti motu quodam efferveſcentis: qui quia flatulentus etiam eſt, tumida magnaque ſperantia & concupiſcentia ingenia facit, ac facilè quæ parva contemnit. Diximus enim, ne vel certo quidem quæſtu, parvula pecunia luſuros. Suntque ferè ſuperbi & iracundi aleatores, ac mirè etiam οἰωνοσκοπικοὶ: quales ferè, cum Jovis aut Solis aſpectu, Mercurii & Martis poſitus producere ſolent. Sed eſt ingeniorum magna varietas: ut ſunt humores in aliis plus, in aliis minus aduſti, aut veneno infecti, & propter diverſos ſiderum poſitus, & propter ſeminis naturam, aliique plus, alii minus naturæ vitiis repugnant. Atque ut vinum eſt quàm maximè varium ac multiplex: ita etiam magna quadam atque ampla lati-

latitudine & differentia cùm toto corpore, tum præcipuè cerebro, calor hic & ſanguis exiſtit. Nam illud, uti ea quę ſenſibus percipiuntur concipit, & res omnes æſtimat: ita cordis deinde motus ſtimulat. Unde tanta aleatorum varietas eſt. Alii enim parva cauſa incitati, facilè ad inſaniæ gradum perveniunt: alii longius ab illo remoti, petulantes tantum atque audaces fiunt. Atque in tanta varietate, alii plus, alii minus nonnulli principio tantum, aut medio uſque: multi dum vincunt, ut dum perdunt alii, temperare ſibi poſſunt. Suntque, qui furioſam & præcipitem ſpem temeritatemque uſque eò concipiunt, ut non ſolum in fortunas & facultates, ſed etiam in libertatem, & ſe ipſos, dementes ludant. Quod quidem eis qui Americam incolunt, Peru vocant, omnium calidiſſimis hominibus, frequenter uſu-

uſuvenire, à multis accepi. Quin & Barcinonæ, Tarraconenſis Hiſpaniæ metropoli, cum aliquando in magna remigum inopia oborta neceſſitate triremes parari atque inſtrui eſſet neceſſe, tum ſubjecta ex publico, mediocri ſub alea pecunia, ea lege ut ex duobus qui illam lucraretur, liber deportaret: qui verò amitteret, remex maneret: magnus remigum delectus brevi tempore factus eſt. Sed quamvis non omnes pari impetu concitantur, & præcipites eunt, neque omnibus parvo momento uſque eò excandeſcit animus, ut (quod nuper Bononiæ rubicundulus quidam Belga fecit) parvæ pecuniæ recuperandæ cauſa, triginta argenteorũ nummûm millibus, horæ ferè ſpacio, aleam ludant: tamen alii pro naturæ modo plus, minuſque: pauci admodum, cum lucrum omnes continuò ſperent, totoque

pecto-

pectore anhelent, nihil damno commoventur. Sed ſunt ferè Belgæ, ac ſimilis temperaturæ homines, naturam ſi ſequantur ſuam, ad ludendum (quantumvis id ſtrenuè multi faciunt) parum apti. Prçterquam enim quod ſimplices atque aperti, quicquid pectore cælant, id vultu promunt: itaque verſare ſuam naturam, & regere minus poſſunt: ſubitis etiam perturbationibus nimis concitantur, minuſque magni naturæ motus reprimi poſſunt. Humidior enim illis eſt calor: atque ut corpora habent molliora, ita mollis etiam illis eſt animus, & ad accipiendam & deponendam offenſionem. Oblata quavis cauſa, magno naturæ & humorum motu quatiuntur, facilè & citò erubeſcunt, facilè verecundia afficiuntur, omnibuſque aliis animorum motibus celeriter commoventur. Quare ſanguinis ac ſpirituum

motu

motu membris omnibus, ſed præcipuè cerebro, citò turbati, mox quaſi temulenter & furioſe facere videntur. Itaque etiam, quod eodem ex fonte naſcitur, magno vitæ periculo & ſubita cauſa in adverſarios ſtrictis enſibus ruere videmus, idque etiam maxima ſi in ſe pericula impendeant: ac nihil planè ullo loco aut tempore, voce vultuve ſimulare poſſe. Ut rectè ſanè Cæſar dixiſſe judicandus ſit, cum à Dolabella ſibi ut caveret, ab amicis admoneretur: Non, inquit, à rubicundis illis & craſſis, ſed tenuibus ac pallidis: Brutum & Caſſium indicans. Verumtamen ne ipſe me contemnere videar, cum apertè vel odiſſe magis ingenuum ſit, quàm, quod multi paſſim hic, etiam cum laude proh dolor, faciunt, fronte occultare ſententtam: ſitque fraude quam vi facta injuria odio digna majore, totiuſque injuſtitiæ (ut Ci-

cero

cero ait) nulla capitalior, quam eorum qui tum cum maximè fallunt, id agunt ut viri boni eſſe videantur: ;que etiam (ut Pamphilus in Terentio rectè putat) * neutiquam officium liberi ſit, cum is nihil promereat, poſtulare id gratiæ apponi ſibi: (quod quidem certè, aulicæ vitæ ſectam & inſtitutum qui ſequuntur, negant:) ſunt ſanè quæ de Belgis dixi omnia, ingenui animi & liberalis indolis præclara ſigna. Neque enim fruſtra de adoleſcente pudente Terentius dixit:

Erubuit, ſalva res eſt.

neque de animo præſtante Ovidius:

Et faciles motus mens generoſa capit.

Quæ quidem omnia, ne tanquam per

F di-

* *Hunc locum intelligere qui velit, Andriæ Terent. act. 1. ſce. 2. legat. Ibi enim Pamphilus planè Belgam agit. nam Hiſpanus aliquis dixiſſet, libenter ſe vel Charini cauſa id eſſe facturum.*

digreſſionem tantum à me dicta videantur, etiam illud probant veriſſimum eſſe, quod Ovidius etiam dixit, ludum quale ſit hominis ingenium & natura clariſſimè demonſtrare. Itaque rectè ipſe amantibus puellis, quia mores atque animi vitia, latentia alioqui, multum detegit, præcipit ut à ludo abſtineant, ne ſi aut ira concitatæ, aut vili lucro nimis deditæ, amatoribus ſuis conſpiciantur, minus ab illis diligantur, quod quidem quam habeat rationem, examinandum mihi videtur. Nam quod omnes dicunt inde adeò provenire, quod ſimplices ac fideles homines à fallacibus & eruditis artificio ſimulationis, conſtantes à levibus, temperantes ac moderatos à libidinoſis & profuſis facile diſcernit, verum id quidem eſt: ſed id qua ratione aut cauſâ fiat, nemo docet. Ego verò, aleam id etiam eâdem facultate qua

vinum, præſtare judico. Nam quod vinum maxime naturas hominum prodit, ideo fit, quia (ut Chæremon Græcus dixit, cujus de vino concinna ſententia meritò magnam authoritatem habet) *τοῖς μὲν τρόποις τῶν χρωμένων μεϱάννυται*: id eſt, vinum ſeſe pro moribus utentium applicat. Ipſum enim corporibus mixtum celerrimè in naturam vertitur, ſuaque caliditate & motu humores fundit ac commovet, ut qui quieti ac ſopiti prius erant, mox velut excitati impulſique, vires ſuas magis exerant. Unde illachrymare vino potos homines, ridere, canere, obdormire, bellum gerere, verſus condere, & alia multum diverſa, pro ſua quemque natura, facere videmus. Eadem ratione Alea, dum mirifice homines ſpe, metu, gaudio, dolore, maximis contrariiſque ſenſibus varie exagitat, concitat & accendit, commoto

ſanguine, copioſos pro natura ejus ſpiritus ſuſcitat: qui tum magno motu & perturbatione neceſſariò ſeſe indicant, naturamque & ingenium oſtendunt. Nam ut in corporibus vitioſi humores, dum quieti adhuc latent, minus percipiuntur, moti verò ſenſum acerrime pungunt, & vim univerſam ac naturam patefaciunt: ita etiam calidum & frigidum, quæ omnium quæ in homine ſunt maxime mores & affectus generant, aucta & excitata, quæ celari prius vitia poterant, in apertum proferunt, neque ut tegi deinde poſſint permittunt. Ex quo ut ebriorum, ità varia etiam aleatorum ingenia videmus. Alii enim patienter ac leviter, ne dicam pulcherrime, fortunæ incommoda diſſimulant & ferunt: alii tremunt, precantur, ſuum numerum invocant. Alii exclamant, ac gravi ſtridore perſtrepunt: alii in omni fortuna

tuna moderati, parum admodum commoveri videntur. Contra, his multum diſſimiles alii, moleſti, difficiles, irati, in ipſum uſque Deum contumelioſi ſunt. Atque hæc illis varia affectio tum maxime accidit, cum minus ludo proſperè funguntur. Nam tum præcipuè omnes, cum in damno verſantur, commoveri, & tum ſpiritus illis animoſque inſurgere, propterea accidit: quia ut iratis onus quoddam à fortuna ſibi impoſitum videtur, quod depellere magno & ſuperbo conatu nituntur. Eſtque elato animo ſtultum & ſe ignorans genus hominum, qui ſe præ aliis, qua in re ſors dominatur, propria & præcipua quadam fortuna dignos judicant. Itaq; ergo concitantur, omniaque, tanquam indigne accepti, ſpe atque animo inflati, audacter aggrediuntur, ſorteſque oblatas urgent temere. Iracundia

Digitized by Google

enim maximus ad ſubeunda pericla aculeus eſt. Immò verò etiam ut irati, facilè omnia in deteriorem partem capiunt, ita pariter difficiles ac moroſi evadunt. Atque uti ſuperbis ſeſeque efferentibus hominibus, qui philautiæ & nimis de ſe bonæ exiſtimationis arrogantia ſubnixi incedunt, quod ambulantibus illis ſtatum erectum & celſum, rarum inceſſum, & totius corporis ornatum, ac progredientis omnem motum impedire videtur, facile magnam animo offenſionem facit: ita etiam dum minus in ludo proſpere aleatoribus evenit, facile ad omnia, tanquam inflato elatoque animo diſtenti, offenſionem & faſtidium habent, omniaque tanquam ejus quod agunt impedimenta deteſtantur. Nam dum male afficiuntur, neque authorem aut cauſam perſequi poſſunt, omnia aſpernantur, omnia de-

cli-

clinant, omniaque tanquam religioni habent. Præſertim cum ejuſmodi res aleæ ludus eſſe videatur, in qua quamvis leve momentum, ſortem immutare poſſe putetur, ac velut in auguriis, punctum temporis, leviſſima quæque res & cujuſvis rei parva aura prodigium eſſe. Atque hoc in multis maxima iracundiæ & difficultatis eſt cauſa, quod omni ex re omen capiunt. Unde non ſolũ aſtantes, ingredientes, intuentes, ridentes, aut quoquo modo ſe moventes, mirabiliter aſpernantur: verumetiam ipſi ſibi omen fingunt. Atque hinc tam frequens ludi, loci, cartarum, teſſerarum & aliarum rerum innovatio, mutatioq; ſuccedit. Quare ſic affectos homines Hiſpani, ut alia multa, proprio mihi appellare nomine Moinos videntur: hoc eſt, ut ego interpretor, & commutatione literæ factum puto, ominoſos homines.

Sed jam quæ ſit totius diſputationis hujus ratio ac firmamentum, breviter dicamus. Ariſtoteles de melancholiæ natura & vi inæquali, variaque differens: Mores (inquit) omnium quæ in hominis corpore habentur, præcipuè calidum & frigidum conformat. & Galenus ſæpe: Qui ſecundum naturam optimè conſtructus atque informatus eſt, is optimas omnes corporis actiones, omnes animi motus atque uſus producit: qui verò vitioſius ſe habet, deterius omnia: eòque magis, quo à naturali temperie optimaque temperatione longius recedit. Itaque à calidiore corporis temperatione immanem & effrenatam cupiditatem. Aleam naſci hoc potiſſimùm argumento moveor, atque adeò primùm in hanc animadverſionem veni. Omnium fere aleatorum natura & ingenium eſt, ut quoties

ties ingens aliquod in alea damnum fecerint, præſertim ſi ad ludendum facultates deficiant, tum conſtanter, animoque (ut videtur) plane certo & confirmato, nunquam ſe reliquo tempore in alea luſuros eſſe dicant: immò verò, etiam id nequiſſimum eſſe facinus, ſua ſponte prædicant. Et tamen poſt aliquanto, multùm ab illis mutati, velut in eundem ſcopulum etiam atque etiam omnes offendunt. Quamobrem ſæpe à me rogati, an quod prius uſurpabant, indignatione aliqua, aut ſimulatione quadam, vel quavis alia cauſa potius quàm ex animo & vere dicerent, omnes non ſolum ab optima fide, totoque animo profecta omnia egiſſe, uno ſerioque ſermone reſpondebant: verum etiam uſque adeo firma & certa ſententia ſe tum loqui, ut ipſa propoſiti conſtantia, & futura inde utilitate freti, factum in alea damnum

num multo etiam levius ferre viderentur. Si igitur, ut eſt ab Hippocrate naturæ inſtinctu & cauſa proditum contrariorũ contraria ſunt remedia (nam omnis in convenienti moderatione ſanitas conſiſtit, omniſque in omni re modus à temperatione recta provenit:) quod interea dum rectè ſentiunt, omnique perturbatione vacant, luſoribus his cupidis accidit, id (nam moderatos facit) ut effrenati affectus hujus cauſæ contrarium ſit, neceſſe videtur. Atqui id ipſum refrigeratio eſt. Nam cum propter detrimentum, & fruſtratam expectationis avidiſſimæ ſpem, valde omnes triſtentur: ſitque triſticia una ex omnibus animi affectibus, quæ maximè corporis habitum temporis puncto refrigerat, facta tum temperatione, repreſſo ad fontem calore tranquillitas oboritur. Quæ tamen quia neque à naturæ, neque à rationis habitu

bitu provenit, non diuturni magiſtri officium facit. Neque verò hoc diſſimile eſt ab Ariſtotelis argumento, quo ſic diſputat: Cum, inquit, formidoloſum quicquam denunciatum eſt, ſi habitus juſto frigidior ſit, timidum reddit, jam enim metui aditum patefacit, & metus ipſe refrigerat: ut ex iis conſtat, qui metu perterriti contremiſcunt. Sed ſi amplius calent, metus invectus ad mediocritatem reducet, temperabit, intrepidumq; proinde hominem ſervabit. Atque hinc etiam eſt, quod pauperes & mendici aleatores, nacti ſubinde quod conferre in medium poſſint quaſi magna dulcedine perfuſi (ſpes enim alacres & lætos homines facit) celeriter admodum ab omni occupatione ſe expediunt, alacriterque & concitato ingreſſu ad colluſores properent. Quos ſi fortè, ut fit, abſentes eſſe invenerint, elatos antea lætitia & ſpe

ſpe bona magno impetu ſpiritus tum deprimi momento, ac velut ad originem ſuam redire gravi caſu & mirando quodam modo ſentiunt. Nam qui magna ſpe & veſana cupidine concitati prius & elati fuerant, ſublata occaſione, velut re objecta, repente concidunt. Et quæ turbata ſpirituum fervore motuque mens erat tum plane repreſſo calore refrigeratur, puriorque & pacata redditur. Idque non obſcure cùm inceſſu, tum illorum ſermone atque animo, turbato prius & concitato, mox quieto & tranquillo, obvio cuique facile eſt noſcere. Nam quos euntes vix verbo ſalutatos, ne moram ſibi afferrent, præteribant: eos revertentes libenter jam & amplectuntur, & ad longiora colloquia ſponte invitant. Ex quo fonte etiam illud naſcitur, quod multi prius quàm ad ludendum accedant, quia tum tranquillior eſt animus

nimus, inconſideratè putant, poſſe ſe ex animi ſententia, quæ tunc eſt, ludi ſponſiones & ſortes omnes moderari, atque (ut Terentius ait) ſi illud quod eſt maximè opus, jactu non cadit, illud quod cecidit fortè, arte corrigere. Neq; id cogitant, quæ res in ſe neq; conſilium neq; modum habet ullum, eam conſilio regi non poſſe. Quos quanto ſatius eſſet ea ex animo amovere, quibus fruſtra libido incendatur ſua? atq; id cogitare, non ſolum ut turpiter ſępe in eadem navi ad eundem ſcopulum naufragium fecerint: verùm etiā quod totum illud turpe ſtudium contra naturam eſt, contra omne juſtum & ęquum. Sed hęc poſtea demonſtrabimus. Jam verò frigiditatem ab alea omnique ſpe & periculo maximè omnes homines abducere, & prius diximus: & vel nobis tacentibus, temperamenta, ætates, ſexus, re-

giones & cœli ſtatus (ſui enim cuique ætati genti ac nationi mores ſunt) clarè loquuntur. Atque ut ſpes alacres lætos & promptos homines facit : ita contrà timor perterritos, remiſſos & lentos reddit. Quare etiam, ardens iſta affectio & exultans alacritate ſpei cupiditas, nulla alia re melius quàm frigiditate cohibetur. Atq; uti vitia, affectus & morbi ferè omnes, ſua quædam nutrimenta, quibus aluntur & augentur, ſunt adepta: ita etiam alea omnibus maximè ſimilibus ſibi cauſis & alitur & augetur. Itaque eos qui poſtquam vinum largius hauſere, aut magna aliqua voluptate & læticia elati ad ludendum properant, tum id quidem præcipua quadā temeritate & effrenato rapidoque fervore facere, non obſcurè videmus. Quin & illos apud quos in alea luditur, & qui mala mente atque animo hoc agunt, ut

remiſſiores & minus alacres ac promptos homines, ad ludendum excitent, maximè vini potu & prolixis verbis quibus ſpem injiciunt, urgere illud & perficere videmus. Tum nihil omnibus ad deſiſtendum pernicioſius accidere poteſt, quàm ſi ſæpe ludentes, proſperè ſubinde id faciant. Tunc enim vel maxime omnibus ſenſibus, animoque toto, veluti Circes poculis, voluptate & dulcedine perfuſi, peſſima imbuuntur opinione: & quam habent improbam cupiditatem, alunt, augent & confirmant. Itaque etiam nefandi & ſceleroſi impoſtores, qui arte mala cartulas, ut ex uſu ſibi venit, miſcere, ſurripere, aut teſſeras ſupponere & jacere didicerunt, cum forte in colluſores demiſſos, rudes atque imperitos incidêre, tum quo magis fraudum ſuarum laqueis irretire illos poſſint, ſtatim in princi-

pio ludi, ſuas lucrari ab illis pecunias conſultò & ſponte ſinunt: nimirum ut voluptate quæſtus accenſi, alacrius incitentur, longiuſque quàm pro ratione aut natura provehantur. Quo quidem tempore vel maxime pecuniam illam grandem illis, & iniquiſſimo fœnori dant, ac majorem inde quæſtum conſequuntur, quàm ſi dolo malo, principio mox in fraudem illos deducant. Si vero in eos qui ſua natura proni atque incitati ſunt, incidunt: tum mox eos in laqueos & captiones deducunt ſuas.

Sed quoniam de cauſis diximus, habetque cum perturbatione bonitas morum & virtus magnum commercium, de conſuetudine nonnihil mihi dicendum videtur, quantáque ſit ejus vis examinandum: ut eorum minuatur opinio, qui majorem illius quàm naturæ po-

poteſtatem eſſe exiſtimant: aut eorum, qui ex uſu & exercitatione magis quàm naturæ proclivitate, exercere homines aſſidue aleam putant. De qua, etſi omnes fere qui philoſophiam profitentur, multa ſcripſerunt: tamen & nos quæ experientia ſtudioque percepimus, quamvis nova pleriſque videri poſſint, neſcio cur proferre in commune minus debeamus: præſertim, cum nulla id ambitione, ſed ſolo veritatis ſtudio nitamur. Duplex eſt igitur ut corporis temperies, ita etiam animorum mos & conſuetudo. Una, naturalis ſive inſita, qua omnes homines naturali quadam propenſione proprietatéque utuntur: & qualem electa omnis exercitatio, à natura ſublevata & provecta, facile inducit. Altera aſſumpta ſive adventicia, quæ naturalem proclivitatem longa exercitatione atque uſu immutat

tandem. Hæc cauſæ, illa ſigni rationem habet. Eſtque ambarum pro naturæ diſſimilitudine & exercitationum genere ac modo, magna varietas & latitudo. Ut enim in corporibus magnæ diſſimilitudines ſunt, à temperie ſeminis, ſiderum poſitu & victus ratione natæ: ſic in animis exiſtunt etiam majores varietates. Atque ut corporum alia cibos alios potuſque magis appetunt, & pro naturæ ratione declinant: ita etiam animi, diverſa magis concupiſcunt, variiſque rebus & gaudent & condoleſcunt. Quod igitur ille noſter, non minus verborum & ſententiarum dives, quàm ingenio & omni ſcientiarum genere abundans, Galenus, in alimentorum ratione dixit, conſuetudinem corporis proprietatis naturalis ſignum eſſe, & nonnunquam etiam cauſam; (ut evidenter ſumpto argu-

gumento ab animalium & plantarum alimentis probat. Jumenta enim ad herbas, fœnum, paleas, leones & lupi ad carnes naturæ inſtinctu accedunt: ſuntque in eodem etiam genere multa & magna diſcrimina. Alia enim vinum vehementer appetunt, nec moleſte ferunt: alia & declinant, & ne guſtare quidem ſine magno detrimento poſſunt) id vero etiam ut in corporis appetitione naturali, ita etiam in animi cupiditatibus, immo etiam moribus ſimiliter evenire mihi videtur. Nam quemadmodum animantium genus omne ea ſponte nutrimenta ſibi appetere & comparare, eaſque actiones obire, quæ cum natura ſua maxime conveniunt, videmus: aliquando tamen longo aliorum uſu, longáq; conſuetudine, quam vel neceſſitas, vel loci mutatio, vel alia cauſa induxit, planè

Digitized by Google

naturam mutare. Ingratum enim antea cibum, poſt aliquot dierum uſum, jucundum fieri videmus: & alio loco conſitas arbores, non ſolum minus exitioſas, ſed etiam utiles reddi. Et ſunt non pauca ex brutis, quæ non ſolum aliorum ſibi diſſimilium animantium conſuetudinem imitantur, ſed etiam hominum voces actioneſque multas exprimere & imitari diuturno tempore perdidicerunt. Ita etiam in animis & cupiditates, & quos ferè ſecum trahunt mores, ſimiliter generantur, & mutari poſſunt. Nam plerumque ipſa ſe natura prodit, ejúſque inclinationem omnes ferè ſequimur, & ſponte libentérque in ea vitę ratione, in iiſq; ſtudiis, actionibuſque quæ cum natura noſtra conveniunt, exercemur: tantùmque in illis excrementum facimus, ut non in exercitatione tunc primùm accipi, ſed re-

novando confirmari potius videantur. Et tamen interdum adverſa diu fortuna, ſervitus, coacta patientia, longus uſus, multóque magis magiſtri & Philoſophia, optima naturæ ducis imitatrix, multum adeò nonnullos immutavit, ut à naturali propenſione voluntatiſque inclinatione planè dimoverit: idque præcipuè cum teneris annis, ut mollibus plantis, conveniens educatio, magnaque & aſſidua adhibita animadverſio & diligentia fuit. Tunc enim ut quem volumus habitum inducimus facilius: ita etiam ſi quid eſt mutandum, & celerius & melius perficimus. Atque hinc eſt quod ajunt, conſuetudinem, ſi tamen vires ſumpſerit, alteram eſſe naturam, ac multum referre, qua quis ſtatim à primis annis conſuetudine imbuatur: quæ cum perfecta jam eſt, non cauſæ adhuc, ſed ſigni etiam quodam-

dammodo rationem obtinet. Verùm hæc conſuetudo niſi ſtatim adhibeatur, atque ab optimo magiſtro commoda exercitatione formetur, & minus ſæpe inducitur: & quoniam in valde reluctantibus difficilis eſt, & tardas habet acceſſiones vix aliquid eximium præſtare poteſt. Paucis enim contingit, ut quod de Socrate legimus, magnam naturæ vim virtute opprimant: & paucioribus etiam, ut, quod Alexandro Magno evenit, Ariſtoteles magiſter accidat. qui quidem ipſe Ariſtoteles ait, Difficilius eſſe naturam quàm conſuetudinem mutare: quippe quæ quanto ad naturam propius accedit, hoc eſt, inſita magis eſt, eo difficiliorem mutationem recipit. Rectè itaque dictum eſt:

Tu nihil invita dices facieſve
Minerva. Et.
Natura ſequitur ſemina quiſque
ſua.

Rectè

Rectè enim Terentius ait: Coactus qui ſuũ officium facit, dum id reſcitum iri credit, tantiſper cavet: ſi ſperat fore clam, rurſus ad ingenium redit, & alibi: Nam antea qui ſcire poſſes, aut ingenium noſcere, dum ætas, metus, magiſter prohibebant? Neq; verò ego gentium & nationum tam diverſos mores atq; uſus à conſuetudine natos puto: ſed illorum omnem uſum & conſuetudinem à natura potius manaſſe exiſtimo, quemadmodum, quos aquæ potu delectari videmus, non id quia conſuetudo fuit, facere: ſed quia natura ad hoc incitavit, in conſuetudinem veniſſe. Ut neq; ſi Hiſpani bis tantum die cibũ capiunt, Belgæ verò ter, vel quater etiam, id ego illorum ſobrietati, aut horũ intemperantiæ tribuerim: ſed corporum potius, ciborum atque aëris naturæ. Quemadmodũ etiam, ſi minus illi ſenſibus affectibuſque

mobiles,

mobiles, implacabilem magis iracundiam habent, naturæ ſuæ ſiccitati aſſignandum puto. Sic contrà, ſi alii ſubitis animi motibus perturbantur, & ſuſpicioſi ſunt, à naturæ inclinatione imbutos hac conſuetudine cenſeo. Idemque de ſexus & ætatum diverſis moribus judico, multòque magis de animi affectionibus, quæ à vi quadam naturæ rationis experte proficiſcuntur. Si quis eſt ergo ejuſmodi, ut magnam in ludendo voluptatem capiat, itaque frequenter in ludo verſetur, & ſæpe aleam jaciat, cupiditatemque exerceat ſuam: non is quidem ſolum, quia ſæpe id fecit, hoc eſt, ſola aleæ exercitatione talis evaſit: ſed multo magis, quia talis in ipſo animi affectio fuerat, excitata ſemel illa, exercitationis conſuetudinem cœpit. Plus enim ad vitium cupiditas, quàm ad cupiditatem vitium valet.

Præſertim

Præſertim cum, ut in corporis exercitatione, quæ ad ſanitatem fit, accidit, ut facilè corpus eas actiones, eoſque uſus qui à naturæ ſuæ convenientia & conſervatione alieni ſunt, ſua ſponte recuſet & relinquat: ita etiam animus tacito naturæ ſuæ ſenſu, ad ea quæ vel contraria vel parum convenientia ſibi ſentit, eodem modo ſe habeat: & videre eſt, ab aleæ ludo naturâ qui abhorrent, quàm ad illum & perducantur ægre & ſemper etiam accedant invitè. Sed tamen quoniam naturâ non ſolum proclives homines ad diverſas animi affectiones, diverſa ſtudia & mores facit: verum etiam cum jam adolevimus, ratio ſive opinio actiones noſtras maximè regit, præcipuéque affectus omnes, & excitat & ſedare poteſt: (vetus enim eſt dictum mundus opinione regitur:) ideo etiam jam velut à principio, quan-

tum conſuetudo polleat; quantumque utrique naturæ ſcilicet & opinioni momentum conferat, expendamus. Ita enim etiam vel maximè, quatenus ludendi conſuetudo inſatiabilis aleæ cauſa ſit, cognoſcemus: & quare plurimum exercitationi tribuere omnes debeamus, videbimus.

Nullum planè animal eſt, quod plures magiſque diverſos animi & corporis habitus concipere natura poſſit atque homo. Omnium enim animalium, ut Ariſtoteles ait, maximè vim obtinet imitandi. Atque ut terra varios maximè fructus concipere in ſe, & progignere poteſt: ita etiam hominis animus varios maximè mores capere. Eſtque hæc capiendæ conſuetudinis facilitas habilitaſque non minus ampla, quàm illa quæ ſanitatis eſt latitudo, Quæ ut in magno quodam ſpatio

vel ad morbum vel ad ſanitatem illam exactiſſimam evariat, ac ſi bona eſt, ſimilibus ſibi rebus omnibus conſervatur, aliturque: ſin ad morbum aut vitium declinat, pro exceſſus modo contrariis corrigitur emendaturq;, ita etiam animi ac habitus propenſio eodem modo ad virtutes ac vitia proportione quadam reſpondet. Ideóq; quæcunque conſuetudo vitæ rationem inducit, illam natura tanquam corpus cibum vel terra ſemen concipit, ac pro ſua quadam proprietate cohibet ac diffundit. Nam ſi cum natura convenit: mirificè complectitur & provehit, ſin verò parum ab ea recedit, facilè adhuc evincit: ſin amplius, difficilius, cæteraque pro ratione. Ut enim ſegetes, ita etiam animi, pro culturæ modo luxuriare ſolent. Sed quoniam plerique in medio naturæ proclivitatis hujus, ſicut ſanitatis

 ampliſ-

ampliſſimo ſpacio, conſiſtimus, ſuntque ſemina in nobis innata virtutis, ac facilè non eximium naturæ vitium adhibita diligentia corrigimus: ideo etiam vel inprimis refert quibus quis à primis annis aſſueſcat, & quam quiſque conſuetudinem capiat. Excitat enim colitque naturam exercitatio, in eáq; veluti futurarum actionum ſemen ſpargit. Atq; ut ſementem quiſque facit, ita & metere ſolet. Nam quamvis natura ſicut terra corrupta eſt, ideoque ad malum noſtra ſponte proni ſumus: poteſt tamen & illa, ſicut hæc, cultura diligenti lætos uberrimoſque fructus proferre: ut contra; quamvis ſit fertilis, ſine cultura fructuoſa eſſe non poteſt. Recte itaque Hiſpani (quorum ego linguam, non minus verbis quàm ſententiis gravem, merito maximi facio) quem corruptis moribus, inhumanum, incivilem, & ho-

honeſtum minus vident, Malcriado ſua lingua, id eſt male educatum vocant: nec male Itali, longè diſcedentem à communi morum ratione & conſuetudine, humorem & humoriſtam patria etiam lingua appellant: illi nempe à media latitudine, hi verò ab extrema cauſam deſignantes. Eademque ratione multa multorum de moribus dicta conciliari inter ſeſe poſſe puto. Nam Terentius ait: Qualem ſuum quiſque eſſe vult, talis eſt. Et Horat. *Naturam expellas furca, tamen uſque recurret.* Item, Heroum filii noxæ: & Fortes creantur fortibus. Iam vero etiam habet hoc omnis animi facultas & libido, ut quemadmodum corporis partes exercitatæ fortiores ſolidioreſque redduntur, ita etiam ipſa exercitatione atque uſu magnas vires adipiſcantur & creſcant: contrà verò ocio langueſcant & mi-

nuantur. Id quod diſertiſſimè explicavit Plato in Timęo, ſecutus Hippocratem, qui uſum robur addere, ocium verò diſſolvere pronunciavit. Eatenus ergo ludendi exercitationem, aleæ, hoc eſt, cupiditatis effrenatæ cauſam dicemus. Primùm, quòd latentem illam, & veluti ſopitam excitat in hominibus, ac producit, atque in iis etiam qui veluti medio aut neutro quodam modo ad illam ſeſe habebant, planè inducit atque ingenerat. Ut enim nec terra ſeminis quod non concepit, fructus reddere poteſt: nec quiſquam, quamvis ingenioſa gula ſit, vel jus nigrum, vel conditos boletos, nunquam antea viſos appetere: ita nec quiſquam ignotum ſibi ludum concupiſcere. Quamvis ut habet omnis exercitatio cognatas ſibi vicinas actiones, ac parvis momentis multa natura aut affingit, aut mutat,

aut

aut detrahit : ita etiam poteſt quis, cupiditatibus nimis indulgens, naturæ inſtinctu in vicina vitia incurrere. Quare recte Iuvenalis ait:

Si damnoſa ſenem juvat alea, ludit & hæres
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.

Poſtremò, quoniam omnes quod turpe & injuſtum eſſe credimus, id etiam committere minus ſolemus: ideo etiam vel maximi momenti & ponderis omnem conſuetudinem eſſe video, quòd opinionem, quæ facile peccatum contemnit, ſi quid aliud, in hominibus generat. Nihil enim eſt quod hominum, imperitorum maximè, animos magis citiuſve opinione informat, aut movet, quàm conſuetudo & exemplum. Plerique enim ab aliis quod fieri vident, quod ab illis quibuſcum vivunt, id unum & ipſi ſine ullo con-

ſcientiæ timore faciunt, & ſequi alios volunt. Ut enim Terent. inquit: Homine imperito nunquam quicquam injuſtius, qui niſi quod ipſe facit, nihil rectum putat. Immò, exemplo quod fit id omnes etiam jure fieri putant. Adde, quòd omnes in religione eodem modo moventur: & deos patrios, quos à majoribus acceperunt colendos ſibi diligenter, & retinendos arbitrantur. Quare vel maxime bonæ conſuetudini quiſque tradendus eſt, quod animum illa plane opinione informat. Quæ non modo omnium noſtrarum actionum, cum jam adolevimus, præcipua cauſa exiſtit, ſed præcipue etiam affectus movet. Id enim omnes toto ſenſu fugimus, quod malum putamus: & quod bonum, vehementer appetimus. Atque hinc adeò fit, quod pleræque nationes, ſuas quaſdam turpes actiones,

quæ

quæ quidem ab aliis, ut ſunt, graviſſimæ æſtimantur, eas vix ipſi propter conſuetudinem in vitio ponant. Atque hinc etiam, illas quæ cum multarum gentium hominibus commercium habent civitates, cæteris videmus eſſe multis vitiis flagitiiſque magis contaminatas. Nam cum omnes pravos ſuos actus confecerunt, & proni ad malum ſimus, maximè movemur exemplo: & à multis quod fit, id neſcio quo modo animi ratio facile admittit. Itaque, quotus in Italia quiſque eſt, qui adulterii crimen graviſſimum, non gaudens negligat? quis vitiandæ puellæ aut mulieris occaſionem pulchram nactus, non unà cum Terentiano illo Chærea dicat: Ego verò id feci, ac lubens? Et: Tum verò is eſſem, qui aſſimilabar. Atqui alibi ebrietas, alibi furtum, alibi alia vitia, propter ſolam conſuetudinem, vel inſitam

vel adventiciam, nullà peccati conſcientia exerceri videmus. Quamobrem, cum ludendi conſuetudo in hanc etiam opinionem homines maximè inducit, ut ne in vitio quidem eſſe flagitioſiſſimam actionem putent, facit, ut in ea aleatores ſine ulla peccati conſcientia verſentur.

Sed deinceps, ut erat propoſitum, qui ſint aleæ effectus, dicamus: qui quidem ex multis præcipui ſunt, animi ſolicitudo aſſidua, officii neglectus, paupertas, execratio, furtum, & deſperatio. Ac primum quidem, quanta ſit aleatorum cura, quantus angor animi, quanta ſolicitudo, ex illorum vita cuivis facile eſt noſcere. Semper enim aut verum dolorem ſuſtinent, aut falſo breviq; admodum gaudio complentur. Et præterquam quod turpis illos cupido ſemper vexat, magnuſque damni

do-

dolor animum excruciat, qui ſæpe mediis ſermonibus, media cogitatione, immò etiam conviviis mediis recurrit, magnumque ſemper quaſi morſu quodam dolorem affert, atque animum exedit, tum etiam inſomnes ferè noctes ducunt: ac nihil unquam, quamvis charum aut eximium, proprium aut ſuum habent: non ſi, quod faciunt, alteri id ſervandum tradant: non ſi pignori donent: non, ſi ſub ſignis centum & clauſtris ponant. Nimis enim eſt impotens, recuperandæ ex alea jacturæ cupiditas: quæ quidem ita cum alea conjuncta eſt, nullo modo ut ab illa ſejungi poſſit. Scitum eſt enim illud ſenis dictum: Non quod filius ludit meus, malè me habet: ſed quod reparare damnum ſtudet, vehementer excruciat. Illud enim qui conantur, & faciunt ſedulò, nunquam, dum minimum bonorum

rum aut facultatum ſibi ſupereſt, deſiſtunt. Itaque recte etiam Horatius.

Non luſiſſe pudet, ſed non incidere ludum.

Hoc enim omnes quibus in viſceribus malum hæret, nunquam faciunt: ſed ſua libidine ſemper, quod ſperant, non quod fieri poſſit, moderantur. Itaque captantes capiuntur. Præterea maxima illa vitæ jucunditate, quæ in amicorum & familiarium ſermonibus & colloquiis verſatur, cum ſemper illorum in ludo eſt animus, planè carent. Semper enim vel ſecunda fortuna, turpiter & ſtultè exultant: vel adverſa magis, gravem animo dolorem ſentiunt. Et cum omnia præ ludendi voluptate contemnant, (dulce enim eſt cùm omnibus, tum præſertim concitatis affectibus indulgere) tum

etiam

etiam triſtia variaque dormientes ſomnia exagitant: & ſæpe præſentes cum ſint, miſerorum amantium inſtar, abſentes videntur.

Neque vero etiam quicquam eſt, quod perinde omnes homines, ab optimis omnibus ſtudiis abducit, atque alea. Nullum enim eſt officium tam neceſſarium, tam pium, tam ſanctum, quod non ludendi cauſa comminuere atque violare audeant: non ſi id maximum vel diis vel hominibus præſtare debeant. Itaque videmus, ut à ludo abſtineant, non amicorum preces, non parentum monita, non magiſtrorum authoritatem, non dominorum imperium, perficere poſſe. Quod quidem etiam ex eo in mentem mihi venit, quod Regum familiares intimos & neceſſarios vidi, qui cum vix horam à publicis negotiis ſubtrahere recreandis animis

poſſent, quin ſæpe & à principibus etiam viris, magnis de rebus agere volentibus, interpellarentur: tamen ita frequenter integras in alea noctes turpiter & magno damno conſumpſerint, nihil ut fieri potuerit fœdius, nihil iniquius, nihil conſultore viro indignius. Quæ quidem duo incommoda, ut nullum accedat aliud, quam ſint per ſe gravia, moleſta, iniqua, exitioſa, indigna viro qui conſtanter & honeſte vivere velit, nemo ſanæ mentis non videt. Quis enim non peſſimum atque omni malo dignum judicet eum, qui honeſtum officium turpi, non dicam lucro, ſed ludo poſthabeat?

At jam ludere idem eſſe quod perdere, ideoque ad paupertatem certiſſimam viam eſſe, non ſolum ut omnium ferè gentium, ita etiam Latinorum vetus lingua, quæ ludos ope-

operam facere pro eo quod eſt operam perdere, & damnoſam aleam dicit, atteſtatur: ſed etiam palàm omnes, qui in illa verſantur, re ipſa comprobant. Quam multi enim paſſim ſunt, qui in aleæ ſcopulum lapſi, miſere ita fecere naufragium, vix ut licuerit enatare nudis? Quam multi, paſſim ex honoribus ampliſſimis, fortuniſque maximis, ad inopiam & paupertatem redacti? Quam multos bene & liberaliter educatos adoleſcentes, qui magnam eximiæ probitatis atque doctrinæ de ſe ſpem concitaverant, atque erecti fortuna & virtute ad gloriam ac laudem videbantur, alea ad calamitatem depulit? atque ab optimo vitæ inſtituto, ad peſſimam degendæ vitæ rationem deduxit? Rectè ſanè uſurpaſſe mihi videor, *Patrimonii ſcopulus alea*. Neque verò ulla Charybdis tam vorax, quæ tot res, tot

copias & facultates, tam cito abſorbere poſſit.

Nunc ad cætera, quæ, non fortunas aut oculos modo, ſed animam etiam, ut ſi quid aliud, lædunt, tranſeamus: quam quidem, quid eſt quod perinde labefactat, atque blaſphemia? Quid quod rationi, quod naturæ ac Deo magis inimicum? Ac quid tandem, unde frequentius illa naſcitur, citiuſque in immenſum creſcit, quàm ab alea? ut ſi quis illam inferorum aliquem procreaſſe dicat, nihil ille à vero aberrare videatur. Illa enim unicus eſt Cacodæmonis fundus, ex quo fructum capit uberrimum. Neque vero etiam, cum ſæpe multas horas, immò etiam dies, ſucceſſus & caſus chartularum vel teſſerarum, tam alicui continenter adverſos contrarioſque video, nemo ut qui præſens id cernat, evenire hoc ratione aliqua,

qua, aut etiam cæca & temeraria fortuna unquam poſſe credat: certè putare non poſſum, quin peſſimi alicujus dæmonis auxilio ac numine id fiat. Nam quid eſt tam contrarium prudentiæ ac rationi, hoc eſt Deo, quam temeritas? Et quid eſt alea, niſi profana quædam atque impia temeritas, quæ à ratione diſcedens, fortunam deum facit. Quæ quid mirum ſi ſuos vexat? Itaque ergo ut transfugæ, omnia in Deum maledicta conferunt, omnibuſque ipſum probris figunt: idque ita prolixè & effuſe faciunt: ut voluptatem etiam in eo ſentire ſe maximam dicant. Cum enim aliquando luſori dicerem, nunquam me maledictis deos vexaſſe: neque ſi vellem maximè, poſſe hoc facere: O te, inquit, magnæ voluptatis expertem. Sed de aleæ effectuum omnium atrocitate ac magnitudine dicere velle, &

longum eſſet, & alterius conſilii ac rationis videtur. Itaque etiam nec de perjuriis, ira, inimicitiis, cædibus & bellis atrocibus, quæ frequenter (ut Horatius ait) ludus gignit, quicquam dicam: ut neque de inauditis horrendiſque in Deum probris, quæ uſque adeò impia & indigna luſores quotidie proferunt, ut vel meminiſſe animus horreat: quæ quidem etiam honeſtiorum adoleſcentum piis auribus concedam.

Ad furtum igitur tranſeo, quod quidem etiam ita pertinaciter aleam comitatur, vix ut ab illa ſeparari poſſe videatur. Nam cum ludendo egere celeriter aleatores cœperint, alienis bonis manus afferre coguntur. Et quia nullam honeſtatis rationem ducunt, ſine delectu undecunque poſſunt rapiunt: ut rectè ſanè Ariſtoteles illos cum furibus & latronibus conjunxerit, & Hiſpani

pul-

pulchrè etiam ſua lingua aleatorem tahur, quaſi hurta, id eſt furem vocant. Nam ſi rectè examinare velimus, quid eſt aliud Aleam jacere, quàm furari velle, & invito domino rem auferre? Neque enim ſolum in effectu ſemper, ſed etiam in cupiditate & voluntate peccatum eſt. Atque hominum conſilia, non exitus rerum, legibus vindicantur. Tum quotuſquiſque aleatorum eſt, qui propoſita rerum omnium ignoratione, non ſolum optimum quod ſit ſemper jaciat, aut ſibi ſumat: ſed etiam, ſi poſſit, ſubtrahat doloſe? Id enim verum eſſe, & multi ſæpe deprehenſi, & ludorum etiam conditiones (quæ legum vim obtinent) ſatis comprobant. Quod quo magis conſtare poſſit, exemplum adducam. Cum igitur non ita diu, neque ignotum hic eſt, vir nobili genere natus, iſque Cardinalis ampliſſimus,

* Singularum ludum (vulgus Primeram vocat : is enim inter omnes fortunæ ludos nobiliſſimus , † primas obtinere paſſim videt , habetque & ſolertiæ & audaciæ & temeritati & ſtultitiæ ubique autem ſpei locum) exerceret : atque is qui colluſor erat , ordine prior, heptada monadaque primis quatuor tabellis, quæ ſeptem & triginta numeros complent, ejuſdem notæ ſortitus eſſet : mox poſt primam ſponſionem, quæ duabus porrectis tabellis fieri ſolet, ut fit, illam quinquaginta aureis adauxit. Quam quidem auctionem Cardinalis, heptada & ſenionem nactus, hoc eſt numeros triginta

* *Singularum ludus , cartulis quæ quadruplicis ubique figuræ ſunt exercetur . Ideo autem ſic dictus , quia cum quatuor cartulis, quas ludentes varie ſortiuntur , perficiatur : qui cujuſque figuræ ſingulas cartas habet , primeram habere dicitur.*

† *Primera inter omnes ludos nobiliſſimus.*

Digitized by Google

ta novem, non ſolum admiſit, verum etiam, jam tum aliis inſuper centum majorem fecit. Quod cum alter, quamvis dubius principiò, tamen admitteret, dejectis tum utrinque binis chartulis, ac totidem ſortitis: protrahens ex more prior ſenionem ſuis tabellis acceſſiſſe conſpicit, eòque maximum adimpleviſſe ſe numerum. Itaque univerſam quam habebat in ludo pecuniam, circiter trecentos aureos, omnes in medium protrudebat, ſortique ſe adjungere ajebat. Quod cum Antiſtes videret, ſuas protrahens cartulas, atque ecquid ſors ferret reſpiciens, quaternionem ſuis adjunctum eſſe cartulis comperit, numeroſq; quinquaginta & tres nactũ eſſe. Valde tamen adhuc propter ingentem auctionem animi dubius, nihil ad auctionem factam reſpondens, tandem proſtratis tabellis. Eccum?

cum?inquit (ſubita ſublataqne voce, annuentis ſimili) numeros quinquaginta & tres, cui mox alter. At eccum quinquaginta & quinque: putans, quod adauxerat precium, omne accipere, cui tum Antiſtes: Scilicet bone vir, auctionem non admitto. Ille verò inſtare, atque ad arbitros rem deferre. Qui quidem omnes ex lege ac ratione, ut ajunt, pro Antiſtite ſententiam ferebant. Neque defuerunt etiam, qui ingenium ſummè laudarent. Quod quàm ſit juſtum, intelligentibus examinandum relinquo. Atque etiam, ecquid, hoc qui facit, an ſi poſſit omnibus inſciis pecuniam ſurripere quicquam addubitet? Neque verò etiam illud quod de Leone Pont. Max. vulgo fertur, etſi argutiam magis ſapere videtur, tamen liberale mihi, aut principe viro dignum videtur. Ille enim conſimili ludo lu-

ludens, cum aliquando ſummos numeros nactus eſſet, neque alia ratione, niſi quia poſterior ordine ludi fuerat, deperdere ſymbolum poſſet, ex magna auctione quam prior faciebat, præſentiens animo quod res erat, eoſdem illum ſummos numeros nactum eſſe: tum dubitabundus, indignum ratus, maximo cum numero (quod nemo ſolet) ſorti cedere: Punctum, inquit, mihi concede, & quod urges precium omne conferam. Quod cum alter nunquam fore putans ut ſummus Pont. non ſolum cum maximo numero, ſed ne cum iis quidem qui maximo proximi ſunt, quicquam addubitaret, libenter etiam concederet, omnem pecuniam amiſit. Quam quidem ſi, ut corraſit, mox reſtituiſſet, atque illam illi manum remiſiſſet, facilè factum laudarem. Hoc enim ſæpiſſimè Auguſtum feciſſe

ciſſe legimus. Et ego longè etiam liberalius Philippum Hiſpaniarum Regem optimum prolixa beneficaque natura virum, frequenter hoc factitaſſe, à familiaribus ſuis audivi. Qui quidem ideo etiam aliquando ludere viſus eſt, tantum ut liberalitatis voluptate perfrui poſſet. Atq; hęc ideo Principum virorum exempla protuli, omnes ut intelligant, neminem ferè ad aleam accedere, qui non ita animo affectus ſit, quin ſi poſſit, colluſores quovis jure quaque injuria ſpoliet, mutilet, laceret quoſquos nactus ſit. Immò verò id ſucceſſu temporis, præſertim jam pauperiores facti quod de Caligula legimus, omnes faciunt. Itaque rectè ſemper alea legibus ſeveriſſimè vetita fuit. Et juſtè etiam nunc in civitatibus bene inſtitutis obſervatur, non ſolum ut judicium de rebus in alea perditis non detur,

quod

quod paſſim etiam obſervatur: ſed etiam, quod præceps cuiq; abſtulit alea, id omne reſtitui ut debeat. Nam ut quod ultimum erat dicamus, nihil eſt quod deſperare citius homines facit quàm fortunarum & bonorum perditio, quę ex alea contingit. Cum enim ex felici proſperaque vel tolerabili fortuna, miſerrimi homines fiunt, atque omnem calamitatis culpam in ſe poſitam eſſe cogitant, victa tandem perditaque ſpe meliori, acerbam ſibi vitam ſentiunt: & veluti peccati conſcientia & indignationis magnitudine oppreſſi, alii lucem oderunt, & mœrore confecti contabuere: alii nefarias libidinum contumelias turpitudineſque ſubierunt: alii ad laqueum, ad præcipitium, ad vim confugêre, omniaque ultima tentarunt. Cui enim in Hiſpaniis inauditum eſt nomen Venturæ Beltran? cui Romæ, Taveræ?

quorum hic cùm maximam facultatum & copiarum ſuarum partem in alea perdidiſſet, de ponte ſe in Tyberim dejecit: ille etiam quamdiu vixit, ut ad ludendum copiæ ſuppeterent, nihil intentatum reliquit. Itaque illud poſtremò eſt auſus, quamobrem vitam per ſummum dedecus & ignominiam amiſit. Atq; hi ſunt aleæ fructus omnes certiſſimi. Nam quamvis multi ſua natura boni, in hanc conſuetudinem veniunt (loquor enim ſecundum vulgi conſuetudinem, cum nemo aleator vir bonus eſſe poſſit) quos maximè etiam tales eſſe, ex ipſo in quo verſant ludo judicari poteſt: tamen ſi perſiſtant, maximéque frequenter ſi infeliciter ludant, tandem (ut dixi) ad tempus, omnes in præfata incommoda, ſi non univerſa, attamen plurima incurrunt.

Sed jam, quæ ſint corporum, vel po-

potius animorum affectiones, quæ cognatam quandam cum illa quæ facilè in aleam incidit, naturam habent, breviter etiam explicemus. Multi ſunt, qui naturali quodam ſenſu ita bene ſemper ſperant, ita quæcunq; proponunt, conſequi ſemper poſſe confidunt, ut vel longiſſimè remota & difficilima quæ ſunt, quæque aliis propè omnibus deſperata videntur: tamen tentare magno animo & ſpe bona nitantur: idque vel quia dignos ſe putant, vel quia præ aliis fortunatos, ſtulticia nimirum & errore, pravoque de ſe judicio moti. Ac non pauci etiam ſunt, qui vel domus ſuæ fores pulſari ſi audiant, vel rogatos ſe abſentes ſi intelligant, ſtatim ad bonũ aliquem nuncium animos erigunt: atq; hæc omnia nulla planè evidente cogitatione, ſed ſolo naturæ ſenſu. Quemadmodũ contrà multos eſſe remiſſiores,

atque ab omni ſpe meliore non ſolum remotos, ſed etiam quaſi ſemper timentes, & malè de omnibus rebus augurantes, videmus. Qui quidem, quantum ab omni ſubeunda ſorte, ſponte ſua ſunt remoti: tantum illi ex adverſo finitimi ſunt, & propinqui. Quare etiam præcipuo quodam ſtudio, ab omni ſorte atq; alea his cavendum eſt. Omnes enim, ut antè diximus, ſimilibus & cognatis naturæ noſtræ affectionibus facillimè tentamur: ſuntque credulitas, confidentia, temeritas & audacia, appoſita & propinqua cum alea vitia: ut contrà temperantia omnium moderatrix cupiditatum, conſideratio & conſtantia, non quidem planè contraria, ſed tamen ab alea fortunáque, quæ duo ab inconſtantia & temeritate ſejungi non poſſunt, multum diſſidentia: cui ſi quæ ſunt contraria, remiſſio, timi-

di-

ditas, atque avaricia potius, forent.

Nunc quoniam, ut potuimus, aleæ naturam & vim explicavimus: reliquum eſt, ut eorum opinionem confutemus, qui aleam ſive ludendi cupiditatem, avariciam eſſe dicunt. Qua quidem in hæreſi eruditos ferè omnes, uſque in hunc diem fuiſſe video. Ac primum, ut Ariſtoteles ait, ſenectus, omniſque imbecillitas (propter ſimilitudinem, quæ ſimilium omnium generatrix, conſervatrix & auctrix eſt) avaros homines facit: ideóq; inſanabilem etiam avariciam eſſe dicit. At verò contrà in alea, & prodigalitate, accidit. Hæc enim ambo, progreſſu ætatis atque inopia curantur ac minuuntur, juventute verò aluntur & augentur. Quare frigida timidáque & imbecillis ſenectus, ut alia omnis ſimilis tum ætas, tum ſexus, ab omni periculo & ſorte ſubeunda eſt remo-

tiſſima. Quæ tamen ſi aliquando, aut ſæpe etiam in alea vel ocii vel jucunditatis cauſa verſatur, gratis id, aut exiguo precio facit. Ita enim in epiſtola quadam autographa (ut Suetonius ait) Octavius Auguſtus, aleæ deditiſſimus, ſcriptum reliquit: Inter cœnam luſimus γερουτικῶς & heri & hodie. Talis enim jactatis, ut quiſque canem aut ſenionem miſerat, in ſingulos talos ſingulos denarios in medium conferebat, quos tollebat univerſos qui Venerem jecerat. Et quidem cum avaricia omnis ex imbecilli atque effracto proficiſcatur animo, nunquam illas quę in alea quotidie fiunt, rei familiaris jacturas & damna perferre queat, nunquam ad tantum robur aſſurgat, ut ſæpe fractas & oppreſſas fortunas fortiter ſemper & concitatis animis recuperare bona ſpe nitatur. Ut enim Juvenalis ait.

Plo-

Ploratur lachrymis amiſſa pecunia veris,
Et majore domus gemitu, majore tumultu
Planguntur nummi, quàm funera.

Præterea avaricia tota infra mediocritatem conſiſtit: cui depreſſæ & infirmæ, cum gravius aliquod onus accedit, planè ſuccumbit, neque erigere aut reficere ſe amplius poteſt. Cæterùm alea tota in eo quod nimium eſt verſatur. Itaque etiam accepto gravi damno, temperatior (ut diximus) ad tempus evadit. Non ſecus ac prodigalitas: quæ, ubi ætatis mediæ deferbuit calor, ſenectutis frigiditate ad mediocritatem refertur. Et ſi ex omni memoria, eos qui Aleæ vitio inſignes fuerunt, repetere animo velimus, non hercle illos avaros, ſed prodigos maximè fuiſſe videbimus. Cui enim Claudii

Neronis prodigalitas ac divitiarum profuſio ignota? qui nec largiendi, nec abſumendi modum tenuit. Atqui is quadrigenis in punctum H-S. aleam luſit. Auguſtus verò etiam, ita in alea benignè, liberaliter ac jucundè luſiſſe dicitur, ut nullam habere occaſionem largitatis ſuæ majorem aut commodiorem videretur. Sic enim in epiſtola ejus ad Tiberium legimus: Nos, mi Tiberi quinquatriis jucundè egimus. Luſimus enim per omnes dies, forumque aleatorium calfecimus. Frater tuus magnis clamoribus rem geſſit. Ad ſummam tamen, perdidit non multum: ſed ex magnis detrimentis, præter ſpem paulatim retractus eſt. Ego perdidi viginti millia nummûm, meo nomine: ſed cum effuſe in ludo liberalis fuiſſem, ut ſoleo, plerumque. Nam ſi, quas manus remiſi cuique, exegiſſem, aut retinuiſ-

ſem

ſem quod cuique donavi, viciſſem vel L. millia. Sed hoc malo, benignitas enim mea me ad cœleſtem gloriam efferet. Itaque etiam ſæpe hoc nomine pecuniam convivis dabat. Scribit enim ad filiam: miſi tibi denarios C C L. quos ſingulis convivis dederam, ſi vellent inter ſe, inter cœnam, vel talis, vel par impar ludere. Et Flavius Domitianus, homo etiam largitor & prodigus, quoties ocium nactus erat, libenter in alea conſumebat: idque etiam profeſtis diebus, & matutinis horis. Alioſque privatos & cum poteſtate viros, prodigos omnes & effuſos, multas in alea pecunias profudiſſe, & lauta copioſáque patrimonia diſſipaſſe legimus. Parcum vero & tenacem aliquem hominem magnos ex alea quæſtus feciſſe, aut fortunas ſuas alearum temeritati ſubjeciſſe, nuſquam legi. Nam quod de Caligula,

omnium

omnium etiam maximè luxurioſo, diſſoluto & nimio, proditum eſt, poſtea ad inopiam redactum, cum undique quæſtum quæreret, omniaque etiam viliſſima ad lucrum & prædam revocaret, tunc ne ex luſu quidem aleæ compendium ſpreviſſe, ideo accidit: quia, ſordidiſſima iniquiſſimaque ratione, dolo contendebat. Mendacio enim, ut idem Suetonius ait, & perjurio utebatur: ſine quibus nunquam haud dubio ſtudioſus cupiduſque pecuniarum aliquis, in periculum veniret. Nam, ut neque damnoſa, neque præceps eſſet alea, ſed medio quodam loco conſiſteret: plus eſt multo incommodi & doloris quod ex damno avarus percipit, quàm voluptatis quod ex lucro accedit. Sed dicunt multi, multa avariciæ genera eſſe: atque in eo ſaltem avaros eſſe aleatores, quod nimis pecunias
con-

concupiſcunt. Verum id quidem: quamvis turpiter fortaſſe melius dicerent. Sed tamen & hæc quam ſit firma ratio videamus. Ariſtoteles, eos qui ob intemperantiam pecunias profundunt, non vult propriè prodigos appellari, ſed flagitioſos potius, qui multis ſimul vitiis ſunt contaminati: cum prodigus ſit, qui unum aliquod vitium habet. Ita ſanè ego aleatores nunquam avaros dixerim, quia cupere infinitè pecunias videntur: non hercle magis quàm prodigos ipſos, qui ut multa profundant, etiam à quibus non debent, accipiunt: ob quam cauſam ipſe etiam Ariſtoteles avaros eſſe prodigos dicit. Sed non debet totum à parte aliqua, eáque non principali, nomen capere. Non enim copias aleatores propter ſe, aut imbecillitate animi aliqua, ſed multis variiſque cauſis eiſque minimè ſordidis

didis cùm omnes tum præcipuè juvenes, expetunt. Nam & iis rebus quæ ſunt libidinis, ſumptus ſuggerere videmus: & aſſiſtentibus voluptatum miniſtris, multis etiam pecuniis adaugere, cæteraque magnificos & ſplendidos eſſe. Non igitur ſolicita aut triſti avaricia, ſed cupiditate & ſpe temeraria bonæ ſortis, tanquam ad interitum ruunt voluntarium. Itaque nec Poëtæ cum infinita ex avaricia ſcelera naſci dicunt, ex quibus multa recenſent, ludi etiam meminerunt. Iam quis Buræ Comitem, præclarum illum quidem & patria virtute ac fide virum (ſed tamen ludendi cupiditate flagrantem) avariciæ inſimulare audeat? qui, quum aliquando à Gallorum Rege quadraginta aureorum nummûm millia in alea viciſſet, ac tum Rex diceret, Pulchrum hercle lucrum, * ad

* *Ad comparativè hic ſumitur. Terentius nihil ad noſtram.*

ad Büræ Comitem : confeſtim ut poterat; nummos omnes corripiens, feneſtris foras projecit : uſque adeò illius ob dictum exarſit animus. Qui quidem certè nihil etiam unquam gratis quod facere poterat, in pecunia ponere eſt viſus. Atqui ſordidorum & avidorum hominum vox eſt.

— Tunicam mihi malo lupini,
Quàm ſi me toto laudet vicinia foro.

Cæterùm ne ab omni avariciæ labe planè aleatores vindicare videar, cum alioqui vitiis omnibus ſint implicati : hoc ejus planè habent, quod Ariſtoteles, non quod iſti dicunt: In turpi quæſtu ſunt occupati. Quod tamen minime plerique cogitant: quia hoc maximam hominum partem facere vident. Id enim vitæ genus ſequi, quod in turpi quæſtu verſatur, indignum liberalitate & vir-

PASCASII JUSTI Ecloovienſis Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris.

ALEA,

Sive de Curanda ludendi in pecuniam cupiditate.

LIBER II.

NE cui mirum videatur, quòd cùm proximo libro flagrantem ludendi in pecuniam cupiditatem, à naturæ temperie calidiore, adeóque vinoſo & velut undante quodam ſanguine, in hominibus, qui ſcilicet naturam ſequuntur ſuam, naſci, longa oratione dixerimus: nunc verò curationem præſcripturi, quaſi cauſæ immemo-

res, vel Medicinæ indocti, remediorum formulas quæ ad animum adhibeantur, proponamus. Huic prius quàm ad rem accedamus, reſpondendum puto: ne fortè potione medica, vel catapotiis fieri id ſolum poſſe putet. Quamvis igitur variis rationibus commonſtrare poſſimus rectè cupiditatum motus omnes curari, hoc eſt, & cohiberi & evelli poſſe, ad animum ſi conveniens adhibeatur medicina: eamque demum, vel potius ſolam, ad ſanitatem veram viam eſſe: (ita enim natura comparatum eſt, quantumvis plurimum refert ad motuum impetuſque varietatem, quæ ſit cordis & ſpirituum temperies, affectus animi cogitationis æſtimationem ſive cognitionem ut ſequantur) nos tamen, quo melius quod dicturi ſumus, comprehendi ab omnibus poſſit, ac ne totam de affectibus doctri-

ctrinam, ab aliis traditam aſſumere cogamur, illam hic potiſſimum aſſeremus rationem, quæ & Medica planè eſt, & juvenibus perſpicua videri poterit, ea autem eſt ejuſmodi.

Diximus, à calore nimio, qualis vino potorum hominum calor eſt, ἐυελπιςίαν, aleæ præcipuam cauſam, in hominibus qui naturæ propenſioni obediunt generari. Itaque ſi contraria contrariorum ſunt remedia, remotaque cauſa removeri affectus debet: certè refrigerationem eſſe, quæ ſola, vel potiſſimum huic malo, remedio eſſe poſſit & debeat non obſcurè videtur. Atqui ſic eſt, & nos refrigerationem hanc vel maximè oratione, quæ rectè à bono Poeta dicta eſt flexanima, ſive cogitationis æſtimatione & motu induci in hominibus poſſe, diſertè aſſerimus. Nam quis eſt qui non multos quotidie, ſola cogitatione

erubeſcere & pallere, immò etiam tremere, ſudare, lachrymari & variè humores intrò foraſque pellere, excrementaque excernere videat? Et Ariſtoteles ait, quòd ideo ex omni animantium genere propè ſolis, vel maximè ſaltem, hominibus ſeminis profuſio per ſomnium accidere ſolet, quia id niſi cum cogitatione fieri non poteſt. Si igitur hæc omnia cogitatio facit, quæ quidem ſine calore aut frigore manifeſto fieri non poſſunt: haud dubie nihil cogitatione refrigerare aut calfacere mélius & citius poteſt. Quare etiam ſi quis, ut Ariſtoteles rectè, timorem nil niſi refrigerationem quandam eſſe, ſæpe dicit: ita etiam de ſpe, cæteriſque affectibus animi ſimili quadam ratione judicet, nihil ille abſurdum aut ineptum faciat. Ut enim intrò foraſque repellere ſpiritus, in quibus calor reſidet, cogitatio

tio vehemens poteſt : ita pariter eoſdem trahere ad ſe, & ab aliis avocare membris , ac ſpargere variè poſſe , nullum eſt dubium , idque verecundia,& amantium, omniumque attentè nimis & diu de re aliqua cogitantium ſuſpiria, ſuique oblivio ſatis indicant, itaque rectè apud Terent. Phædria : Cæpi egomet mecum inter vias, aliam rem ex alia cogitare: & dum hæc puto, præterii imprudens villam , & alibi Byrria: At quanto ſatius eſt , te id dare operam , qui iſtum amorem ex corde dimoveas tuo, quam id loqui , quo magis libido fruſtra incendatur tua ? Adde quod Poëtæ ſic omnes loquuntur , nam & fervere miſera cupidine pectus, & ardere amore, & accendi ſpe , & timore tremere atque horrere dicunt. Atque hinc eſt, quod optimi & nobiliſſimi omnes medici, in curandis etiam corporis

 morbis

morbis, iiſque non ſolum intemperie vitioſa, ſed etiam corruptis humoribus natis, magnam cogitationum animi rationem habeant, illaſque varia ratione & conſilio, (nimirum prout vel calefacere vel refrigerare volunt) nunc in his excitandas, nunc in illis ſedandas eſſe moneant. Nihil enim penitus eſt, quod celerius corporis habitum vel ad calidum, vel ad frigidum, immò etiam humidum & ſiccum, invertit & variat, quàm animi vel languentis incitatio, vel effrenati moderatio.

Itaque rectè iidem medici affectus iſtos animi, hoc eſt cordis varios ad cogitationes varias motus, inter ſex illa quæ corpus noſtrum immutant, & non naturalia vocantur, connumerarunt. Quam quidem immutationem vel ad frigus vel ad calorem, ita ſubinde vehemen-

men-

menter faciunt, non ſolum multos ut à morbis liberaverint, aut in illos ſæpe induxerint: verum etiam non paucis ut ſubitam mortem attulerint. Nam motus iſtos animi ſola cogitatione impelli & moveri, eâdemque etiam illos qui in nobis ſine ulla deliberatione innati ſunt, maximè ſedari & comprimi poſſe, conſolatio, philoſophia, πειθὼ, totaque Rhetorum ſchola & Orphei lyra docent: & ipſi videmus, alacres ad diſputandum & concitatos ad certamina viros ſæpe unica ratione atque argumento ita perterreri, toto ut corpore animoque mutati contremiſcant.

Contrà verò timidos, dubios, & cunctatores homines, ita ſæpe unius ſententiæ recordatione accendi ac impelli, non ſolùm ut de rebus arduis tum conſtituant: verum etiam res omnes maximas ut audeant. Idque

que etiam clariſſimis viris accidit. Nam ut ex innumeris unum referam, quis illam Cæſaris exclamationem, Si jus violandum eſt, regnandi cauſa violandum eſt, non audivit? & quis non multos etiam mortem contémnere conſtanter videt, facta ſubinde, unica ex ſententia, firma animi inductione? Immò ipſe Plato in Socratis apologia: Mortem, inquit, timere nihil aliud eſt, quàm ſapientem videri eum qui non ſit ſapiens: quippe cum id ſit, ſcire videri quæ neſcias. Nemo enim ſcit, utrum mors omnium bonorum ſummum homini contingat. Metuunt autẽ perinde, ac ſi eam malorum eſſe maximum non ignorarent. Ex quibus verbis quid aliud quam ignorationem, hoc eſt, cogitationem ſive opinationem pravam, timoris etiam maximè naturalis cauſam eſſe intelligit? Itaque etiam de

Morte

Morte libello, quam omnes homines horrent, maxime Axiochum graviter ægrum, & appropinquantem mortem vehementer extimeſcentem, ægerriméque ferentem, ita tum rationibus erexit & confirmavit, ita omni formidinis horrore liberavit, ut mox non ſolum mortem non timeret, ſed etiam ejus ut amore teneretur. Ait enim ἤδη περιφρονῶ τοῦ ζῆν: hoc eſt, Hanc vitam jam deſpicio, & pro nihilo duco.

Si igitur, qua cogitatione aleatores creduli falſam inſitamque opinationem evellere penitus ex animo valeant, explicabo: & qua propoſita ratione animoſam illam, ſed ſtultam & inanem, immò etiam flagitioſam adipiſcendi ex ſorte boni, ſpem ſuam vel abjicere planè vel remittere & comprimere poſſint, docebo: non ad affectam partem modò, ſed etiam ad cauſas omnes affe-

ctio-

ctionis ſalutare remedium præparare mihi videbor. Ut enim ira, amor, ſpes, cæteríque affectus animi, corpus inflammantes, & alii etiam quivis errore & credulitate comprehenſi, quamdiu tenentur errore mentes, permanent, & graviter toto pectore flagrant: ſimul ac verò edoctæ veritatem ſunt, mox remoto omni errore turbulento, puncto temporis recedunt, totumque corporis habitum celerrimè immutant: ita etiam alea, credula quadam ſpe ſtultáque opinione ſuſcepta & ſublevata, quamdiu ſortem proſperam toto pectore atque animo concipit, & inſipienter ac temerè præſagit, ardet ſemper: hanc cum deponit, ſicut Cupidineus amor, mirandum in modum reſtinguitur, & ſtupet. Neq; enim refert, naturáne vel ignoratione, an ſicut nuncio & literis, ſuſceptus error fuerit. Omnem enim credu-

du-

dulitatem & errorem ratio delet, atque ex animo expellit. Nam ſicut Euripides ait, πᾶν ἐξαιρεῖ λόγος: hoc eſt, omnia conficit ratio. Illos verò affectus (duplex autem illorum genus eſt) qui contumaces & pravi ac ſeditioſi, non ignoratione aliqua, ſed improba quadam & à ratione averſa cupiditate concitantur, ſi non expellere, aut conſentientes unà ſecum facere poteſt: attamen, tanquam in febre ſitim, cum pernicioſam eſſe potionem didicit, voluntatis imperio comprimere & coërcere valet. Itaque ratio, rectè ut hominem animal eſſe rationale agnoſcas, cum omnium & animi affectuum, & quę illis conſentaneę ferè ſunt actionum dux & magiſtra ſit: illa, quo in quoque perfecta & ſana ac moderata erit magis, ita illum & animo tranquilliorem, & moribus omnibus meliorem reddet. Nam quod

Digitized by Google

inter omnes homines fieri videmus, ut ſenes qui ſunt, in omnibus rebus moderatius, juvenes verò intemperantius ſe gerant: ideo fit, quia & rationem, quæ maximè ætate uſu atque experientia confirmatur, perfectiorem habent: & (quod eadem ex cauſa, quamvis non ſola, naſcitur) cupiditates motuſque omnes animi, ad corpus qui pertinent, quietos magis magiſque ſedatos. Cùm enim quæ regit homines ratio, ſana & perfecta eſt: tum verò illis quibus illa contigit, omne tempus ætatis ſine ulla moleſtia & cupiditate degere licet. Quibus verò integra minus & valens fuerit, ii certè cupiditatibus turbantur & commoventur: ac ſicut ſtulti vel pueri, minus ſibi conſtare, minuſque in officio permanere poſſunt. Nunc igitur ad inſtitutum veniamus, ac quibus rationibus aleatoris animum ab errore pernicioſo,

ad

ad rectam ſcientiam deducere, atque in illa tanquam ſanitate conſervare & tueri poſſimus, exponamus. Oratio enim non ſolum cupiditatis fervori moderari poteſt, verumetiam firmum tutumque animum adverſus improbos appetitionum motus omnes conſervare.

Duplex eſt, ut corporis, ita etiam animi tutandi ratio: una in ſervanda, tuendáque ſanitate poſita eſt: altera, in depellendis omnibus iis quæ deturbare illam, aut labefactare poſſint. Eſtque amborum ſimilis utrobique ratio. Nam ut in corpore curando prima eſt cura & ſcientia, ut naturæ vim cibo potuque & cæteris convenientibus ſibi rebus conſervemus, & quàm maximè fieri poteſt provehamus: deinde ut, quod ex eadem ratione naſcitur, morbum qui ſanitatem perturbat ac deſtruit, contrariis omnibus remediis pro-

pulſemus: Ita etiam animo tutando conſervandóque idem eſt diligenter obſervandum, omnibuſque modis præſtandum. Primùm, ut conveniente ſcientia & doctrina imbuatur ac nutriatur animus: deinde, ut irrumpentes perturbationes, quas Græci πάθη, id eſt morbos non malè vocant, eadem ratione depellantur. Itaque ut corporis morbum nemo rectè curare poteſt, niſi qui prius in quo ſanitas ejus ſita ſit, norit: (aliter enim, ſine ratione, ſine ullo ſcopo aut fine, omnes ſuas actiones diſponet:) ita etiam qui ægrotum animum ad ſanitatem reducere velit, prius in quo animi ſanitas conſiſtat, noſſe debet: ac tum demum, quà vel deficiat, vel abundet, vel quovis modo aberret, inquirere.

Quemadmodum igitur corporis temperatio, cum ea congruunt inter ſe ex quibus conſtamus, ſanitas eſt,

&

& quæ illam tutatur ars Medicina dicitur : ita animi ſalus in recta ratione conſiſtit. Quæ cum adolevit & perfecta eſt, nominatur ritè Sapientia. Hanc quæ tuetur & conſervat ars, Philoſophia nominatur. Sed ſicut corporis illam omnibus numeris partibuſque abſolutam & perfectam ſanitatem nemo conſecutus eſt unquam : ita etiam animi illam perfectiſſimam ſalutem nemo eſt adeptus. Neque enim abſolutè ſanus, aut perfectè & verè ſapiens fuit quiſquam. Verùm eorum quæ in noſtram intelligentiam cadunt, magna eſt valde latitudo : in qua quo quiſq; ad id quod undequaque optimum eſt accedit magis, ita valetudinem habet commodiorem : quo verò ab eodem recedit longius, imbecillam magis. Quin etiam, ut ſunt multæ corporis partes, quæ illæſis tamen cæteris, ipſę variè afficiuntur, & nunc

 du-

dubia, nunc planè infirma ſunt valetudine: & dum magnitudine mali & doloris vel totum corpus, vel principalia membra ſimul graviter non affligunt, totus tamen homo valere adhuc dicitur: ita etiam in animo multa ſimiliter eveniunt. Nam plurima, eáque maximè neceſſaria & utilia cum ſciamus, de aliquibus licet dubitemus, & multorum etiam quamvis prorſus ignari ſimus, dummodo præcipua illa aut communia non ſint, non tamen ob id ſtulti aut inſani ſumus. Poſtremò, ut corporis optima habitudo ipſius eſt ſummum bonum: ita etiam animi ſummum eſt bonum, perfecta ratio & ſcientia. Unde ut corpori nihil accidere pejus morbo, qui ipſum corrumpit, poteſt: ita etiam, ſecundum Philoſophorum ſententiam, nullum homini ignoratione majus malum contingere poteſt, non ſi univerſa

quæ

quæ inveniuntur incommoda, in unum incidant. Stultitia enim majus eſt malum, quàm omnia mala & fortunæ & corporis.

Quibus ſic breviter declaratis, quánam parte, & quàm principali à recta ratione aleatores avidi maniſeſtè aberrent, & quo ſublato errore ac vitio, ad ſanitatem animi, id eſt rectam rationem, ſive ſanam mentem traduci poſſint, exponemus. Deinde ſi fortè in aliquibus contumax adhuc atque improba permanebit cupiditas, quomodo illam ſi non rationi conſentientem ultro facere, at ſaltem quomodo cohibere queant, explicabimus. Ita enim demum conſtare ſibi homines, atque omnem vitam ſine moleſtia degere poſſe puto, ſi & recta utantur ratione, & irruentes perturbationes vel ſedare vel coërcere poſſint.

Aleatorum igitur vitium duplex

eſt, in quo pernicioſe à rectæ rationis moderatione aberrant. Primùm quòd ea ex re, in qua caſus & fortuna dominatur, ſtulta quadam ſui fiducia, creduláque ſpe, ſine cauſa ſolo quodam animi fervore nata, ſuum aucturos ſe commodum, ſuamque ſe rem meliorem facturos eſſe toto pectore atque animo anheli, cogitant. Deinde, quòd nulla animi conſcientia, nullo commiſſo ſcelere, alterius lucrari ſe poſſe fortunas & bona, vel planè credunt: vel cupiditate nimia turbati uſque adeò contemnunt, ut in eo ne cogitent quidem. Suntque duo hæc præcipua vitia, à quibus tanquam totius mali fontibus & cauſis, reliqua omnia incommoda fluunt. Eorumque alterum à conſuetudine prava, & mala educatione natum: alterum à natura magnas inclinationes, ut diximus, capit, quas ipſas

etiam

etiam uſus majores facit. Atque hæc duo ſecundum eandem partem vitia, gravem adeò in multis dolorem commovent, totum ut animum conſenſu miſero afficiant. Huc igitur tanquam ad partem ægram omne conſilium ſpectet neceſſe eſt: huc omnis ratio, omne remedium refeeratur oportet. Iſtæ enim opiniones tanquam quædam ſunt intemperies animi, quæ ſi tollantur, citò moderationem conſequentur, & veluti ex gravi turbidóque motu oborta tranquillitate conquieſcent. Quod quo facilius conſequi poſſint, duabus his animi pravitatibus, totidem veluti remediorum formulas opponamus: quarum altera ex Stoicorum ſeveriſſima diſciplina & rationibus deprompta, altera etiam ex intima mediaque Philoſophia ſumpta eſt. Atque hæc quidem eſt iſta. Quia in re ſors proterva dominatur, avida cre-

credulaque ſpe commodum proponere ſibi, atque animo ſuſcipere, maxima eſt ſtulticia: facultatum verò & bonorum ſuorum periculo conſectari, inſania. Altera: Hominem hominis incommodo ſuum augere commodum velle, magis eſt contra naturam, quàm mors, quàm paupertas, quam dolor, quàm cætera quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Has ſi formulas afflicti miſerè aleatores veluti potionem medicam quotidie & mane & veſperi ſorbeant animo, & cogitatione hauriant, nihil addubitandum quin brevi tempore ſanitatem conſequantur.

Verùm, quia ut medicinæ quæ corporibus profuturæ ſunt non reiici ſtatim, ſed contineri corpore, & digeri ac confici debent: ita etiam animorum remedia non audiri tantum, ſed in animum penetrare & reſi-

reſidere, ipſumque veritate & ſcientia, expulſa fallaci & turbulenta opinione, imbuere prorſus debent: immò etiam quamvis illorum utilitas principio non appareat, continenter etiam inſtar medicinarum ratione factarum, adhiberi. Quæ ſit iſtorum medicamentorum facultas & vis, tum quæ affectuum cùm omnium, tum hujus præcipue ratio, latius eſt explicandum. Ita enim non ſolum libentius illam, faciliuſque ægroti admittent, verumetiam continebunt ac digerent melius.

Habet, ut diximus, hoc à natura omnis animi affectio, ut præcedente cogitatione moveat & concitetur. Sunt autem affectus, cordis motus, quibus appetimus & declinamus res objectas, ut amor, odium, ſpes, metus, ira, cupiditas omnis vehemens. Nam, ut inquit Poëta,— *Ignoti nulla cupido*. Atque illud omnes naturæ obe-

obedientes homines ſequimur & appetimus, quod vel eſt vel putamus bonum: quod verò malum, contra declinamus & fugimus: omneſque, res omnes, uti cogitatione concipimus, ita ad illas toto animorum ſenſu movemur. Videmus enim ſępe multos graviter excandeſcere, ob quam rem alii ne iraſcantur quidem: omneſque caſus & eventus rerum varios, variè pro mentis ſenſu æſtimare, pertimeſcere, expectare & ferre. Itaque quo quiſque rationem magis exercitatam, magis eruditam & conſtantem habet: ita rebus caſibuſque humanis minus commovetur, minus perturbatur, minus cupit, minus dolet. Atque hinc eſt, quod Stoici ſapientem illum ſuum, qui nihil admiretur, nihil metuat, nihil peccet unquam, omni vacare perturbatione dicunt, tum cupiditatę & metu, tum etiam ægritudine

&

& voluptate animi, & iracundia. Etſi id quidem illi confuſe faciunt: omneſque Philoſophi & Poëtæ ſapientem non hominem, ſed Deo ſimilem eſſe, unoque minorem Iove prodiderunt. Si igitur ad cogitationem animique ſenſum affectus moventur, omneſque pro rei quæ ſenſibus percipitur magnitudine, non ſolum quæ eſt, ſed quæ videtur, animos tanquam habenis adducimus & remittimus, ut ne ultra quàm oportet, & ratio dictat, cupiditates noſtræ concitentur, noſque appetitione nimia inflamment: in cogitatione, rectaque & firma mentis æſtimatione videtur poſitum. Quod cum ita ſit, rectè eſt dictum, Ægritudinum animi medicinam eſſe Orationem: & ſicut bonæ valetudinis medicinam, ita etiam benè vivendi artem Prudentiam eſſe. Omnes enim in omni deliberatione hoc fa-

cimus, ut animum eorum quibuſcum agimus, ratione & conſilio, non ſolum in veritatem & noſtram ſententiam inducamus, verumetiam à vitiis omnibus immunes & alienos reddamus. Veruntamen hæc de affectibus ſic dicta, quamvis in genere, maximè in perfectis & rectè à natura informatis hominibus ſunt vera (naturæ enim lege rationi ſubjecti ſunt appetitus, & invitat vera ratio bene ſanos homines ad juſtitiam & æquitatem:) tamen in magna naturæ degeneris corruptione, & magna educationis pravitate, omnes etiam contra rationem concitatas & elatas cupiditates habemus, quæ impetus ſui vehementia etiam voluntatem ſecum trahunt. Suntque cupiditates iſtæ longè in aliis aliæ vehementiores, multiſque gradibus in eo quod majus ac minus eſt, inter ſe diverſæ. Ex quibus, cum maximæ ſunt,

ſunt, tales emanant voces: Prudens, ſciens, vivus videnſque pereo, nec quid agam ſcio. Et,

Video meliora, proboque, Deteriora ſequor.

Verùm de his animorum motibus, qui rationis obedientiam abjiciunt, & contrà protervè inſurgunt, quomodo regi debeant, poſtea dicemus. Nunc de iis qui rationis frenis regi, & contrahi ac ſedari poſſunt, agamus.

Quemadmodum prius diximus, duplicem eſſe conſuetudinem, inſitam videlicet, innatamque: & aſſumptam atque adventiciam, quæ longo ſtudio atque uſu, mutata exercitatione priore uſque adeò tandem familiaris & propria evadit, ut jucunda etiam fiat: ita nunc, cum de cogitatione dicendum venit (ad hanc enim affectus moventur) duplicem ſimiliter cogitationem eſſe ſtatuendum

dum eſt. Una quidem naturalis eſt, qua omnes homines ut videmus, communi quadam conſuetudine & educatione tantum, ſecundum naturam perfecta: itaque indocta & vulgaris dici poteſt. Altera, & erudita & exculta eſt, quæ ſtudio, ratione & experientia comparata & perfecta, non ſicut adventicia conſuetudo, longa exercitatione tantum, ſed etiam facilè, & ſæpe celerrimè naturalem immutat. Hæc rectè Sapiens appellari poteſt: mentem enim veritatis ac doctrinæ rationibus, veluti quodam lumine, totam imbuit, & veluti informat. At, naturalis quæ eſt, ſenſus ferè & temperiem comitatur, communíque tantum conſuetudine & opinione nititur. Itaque ad hanc affectus omnes, qui temeritate, ſtulticia & ſine evidente cauſa concitantur, moveri dicentur: nimirum, quemadmodum & mores natura-

turales. Ita enim Galenus quoque diſtinguit. Nam poſtquam mores, quibus quiſque ſecundum corporis temperiem præditus eſt, explicavit, ac cordis calidioris homines iracundos, audaces, temerarios, atque ad actionem omnem promptos eſſe dixit, ſubjungit: Cæterùm, quæcunque de moribus, ſive nunc, ſive quovis alio ſermone explicata ſunt, ad temperamenti cognitionem, ſciendum eſt, ea non de optimis moribus, aut vitioſis, qui ex Philoſophia hominibus adveniunt, ſed de inſitis unicuique naturalibuſque à nobis expoſita fuiſſe. Erudita igitur & Philoſophica cogitatio, ſtudium, rationem atque experientiam magiſtros habet: ac vulgaria, inſitaque negligens, & premens ſi moleſta ſunt, ut in proverbio eſt; ἕπεται θεῷ, hoc eſt, Deum ſequitur. Omnia enim ſua in ſe poſita eſſe ducit, omneſque for-

tunæ caſus virtute inferiores. Itaque rectè Ariſtoteles quaſi diviſionem hanc ſecutus, verecundiam, quam inter perturbationes numerat, in ſenibus & ſtudio perfectis hominibus vituperat: in adoleſcentibus verò laudat. Senes enim & ſtudioſi, in quibus integra & exculta eſt ratio, nihil admittere debent, quorum cogitatione erubeſcere poſſint. Adoleſcentes verò, cum naturali tantum cogitatione utantur, (naturali enim, ut inquit ille, non arbitraria conſcientia, pudore ſuffuſi verecundantur) verecundiam veluti frenum habent, quo à rebus malis coërcentur. Et quidem nemo de eo quod non didicit vel audivit, judicare aut æſtimare ratione docta poteſt. Itaque etiam non commoveri rebus ignotis & apparentibus. Multa enim extimeſcere adoleſcentes & mulieres & indoctos videmus, quæ mox vel

ætate

ætate vel experientia vel doctrina inſtructi contemnunt. Quod quidem illis, alta in ignoratione velut in tenebris verſantibus, maximè uſuvenit. Nam ſicut lux tenebras, & metum omnem ex tenebris natum, manifeſtè & celerrimè depellit: ita etiam eruditio & ſcientia, non ſolum ignorationem omnem ex hominum animis diſcutit, ſed etiam turbulentum omne vitium miraculi modo removet. Sed ſicut de metu, ita etiam de ſpe judicandum eſt.

Jam verò ad ludendi cupiditatem Aleamque redeamus. Qua quidem affecti qui ſint, & afflicti miſerè, omnes illam vel naturali tantum cogitatione impetúque exercent: ut certè pleriq; faciunt: vel etiam eruditiore & exculta ratione cum ſint, tamen etiam contumaciter in eodem ludendi vitio aſſiduè verſantur. Sed eſt horum non ita magnus nu-

merus. Nam cum nemo adhuc rationes, quibus erudire animum hac parte aleatores poſſint, conſultò & cogitatò propòſuerit, ac nemo ſua vitia cernat, ſibique adulator ſit quiſque: non potuere niſi quadam vulgari & communi ratione omnes uti. Nos igitur ecquid proferre valeamus, quod erudire aleatores poſſit, quod à pernicioſa ſententia retrahere, & motum animi turbulentum cohibere, tentabimus. Quod ſi ex ſententia ſucceſſerit, non ſolum bene operam poſitam eſſe opinabor, ſed etiam maximos me ſtudiorum meorum fructus percepiſſe putabo. Sin minus: certè tamen rectæ voluntatis conſcientia me conſolabor. Ad remediorum igitur formulas redeamus.

Diximus, commodi & utilitatis credulam ex jacta ſorte ſpem, à naturali cogitatione & motu ſuſce-

ptam

ptam, ac peccati ſceleriſque quod cum alea conjunctum eſt, neglectum, à prava conſuetudine, opinione vulgi, & ignorantia natum, præcipuas aleæ cauſas eſſe. His duabus cauſis totidem remediorum formulas oppoſuimus, quarum prior hæc erat. Qua in re ſors proterva dominatur, avida credulaque ſpe commodum proponere ſibi, atque animo ſuſcipere, maxima eſt ſtulticia: facultatum verò & bonorum ſuorum periculo conſectari, inſania. Nunc quas habeat vires, quibuſque ſit deprompta locis, quo libentius illam faciliuſque ſumant ægri, totumq; in animum digerant, exponamus. Ita enim etiã vel maximè, quaſi medicamentũ liquidius dederimus, ac quod uſq; ad ſenſum opinionemque aleatorum penetrare poſſit. Quod manifeſtè omnes fieri videmus, ut multi minimis momentis, ſine

ſine ulla ratione aut cauſa, leviſſima planè cogitatione, magnum animo timorem concipiant (hoc enim & in ætatibus & in ſexu, & nunc etiam in verecundis fieri declaravimus :) ita etiam non pauci ſunt, qui ſolo naturæ ſenſu, nulla prorſus ratione aut evidente cauſa, alacriter admodum & citò ſpem toto pectore capiunt. Sed quia plures ſunt timidi, & timoris cauſæ & ſigna magis ſunt conſpicua, atque omnibus nota: ideo etiam clarius de timore judicamus, ac majus quàm ſpes vitium eſt. par tamen omnino ac ſimilis eſt utriuſque judicandi ratio. Verum ut contraria ſunt, ita etiam longè diverſo naturæ motu & cauſa in hominibus concitantur. Timor enim ſpiritu & ſanguine ad interiora ſe recipiente, corporis habitum refrigerat & triſtes facit: Spes verò, contrario planè motu exteriora calfacit, & læ-

lætitiam generat. In illo enim cor, quod affectuum ſedes eſt, contrahitur & premitur: averſatur enim & fugit futurum malum, eſtque non diſſimilis triſticiæ motus. In ſpe verò contrà, exultans voluptate cor, futurum bonum, vel quod videtur bonum appetit, ſeque ad illud recipiendum aperit, lateque diffundit: quod in iis præſertim corporibus quæ mollia ſunt, & in quibus fluens magis eſt calor, tanto ſubinde impetu facit, ut non ſudorem modò, ſed etiam tremorem inducat. Eſtque vicinus amori, omnique magnæ alicujus rei cupiditati, affectus. Omnis enim cupiditas vehementior magno motu impetuque ad eam rem quam cupit, ſpiritus ſanguinemque impellit. Atque hinc, id eſt ex hujuſmodi motus ratione natum arbitror, quod ajunt, ſperare omnes quæ cupiunt nimis, timere quæ nolint.

lint. Et, Impenſe qui amat, impenſe idem odit nimis. Verum affectiones animi, ut ægritudines ferè omnes quæ calore nimio corpus accendunt & commovent, omnes promotionis ſuæ vehementia, ſtulticiam, delirium & furorem faciunt. Eſtque id ſuprà à nobis declaratum. Et vulgo dicitur, Amantes amentes eſſe. Non enim ſolum elatis ad cerebrum multis vaporibus calidis delirium ſequitur, ut in ardentibus febribus contingit: ſed etiam ſæpe ſolo calore nimio, vel in capite exiſtente, atque inibi genito, vel aliunde tranſmiſſo, ſuccedere mentis alienatio ſolet. Idque Galenus apertè & ſæpe docet. Nervoſis enim partibus inflammatis, promptius quàm reliquis, delirium (inquit) ſupervenire ſolet: idque, aſcendente ad caput interdum per continuas partes ſolo calore interdum ſpiritu vaporoſo,

roſo, vel fumoſo, vel fuliginoſo. Iam vero animi affectus, immò etiam cogitationem vel in ſomnis & quiete factam, & animi inductionem firmam quamvis, maximè celerrimèque totum corpus, atque ipſum animum accendere: ac quo quiſque eſt acuto & celeri ingenio magis, eo etiam commoveri & magis, ac citius, iratorum oculi, vultus, verba & tremores: ſomniantium præterea conturbationes, & cordis pulſus concitati: denique amantium ſermones, & vigilantium ſomnia, ſatis indicant. Quos quidem affectus animi, Græci, quia mentem de ſanitate deturbant, πάθη, id eſt morbos: Latini, & melius (ut Cicero dicit) perturbationes vocant. Neque verò ullus eſt corporis affectus tantus, ut vehementior animi affectibus eſſe poſſit. Adeò enim ſunt potentes, ut idem Galenus ait, quæ

vel in venationibus, vel pilæ ludis, vel ſimilibus exercitiis contingunt, motiones animi: ut multi morbis liberati ſępe ex delectatione fuerint, multi rurſus ex nimia conturbatione in morbos inciderint. Sed ne longius diſcedamus, nonne ira, in qua ſanguis motu maximo efferveſcit, manifeſtus furor definitur? nonne cupiditas flagrans, maleſana, furioſa & cæca vocatur? nonne amor inconſideratus, ſtultus ac demens: ſpes verò etiam credula atque incerta dicitur? Quos omnes affectus quis negabit, ut exuperante calore fieri, ita rationi planè contrarios eſſe? Ac ſi longius progredi etiam velimus, ignorantia ſuperbos & audaces maximè homines facit: peritia verò, modeſtos & continentes. Ut enim Thucydides ait, Ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει. Hoc eſt: Ignorantia audaciam & confiden-

dentiam, ſcientia verò cunctationem & moram ac timiditatem affert. Sed jam etiam quàm ſit ſtulta temulentáque ſpes iſta, aleatores quæ tenet, atque exultare illos alacritate & audacia facit, non ex cauſa ſolum quæ in natura eſt, ſed etiam ex re ipſa judicemus. Quod ſine ulla ratione & cauſa vel concipimus animo, vel facimus opere, certè id omne temeritas eſt: qua, quid poteſt eſſe rationi, conſtantiæ & prudentiæ magis contrarium? Nihil eſt à gravitate ſapientis, errore, levitate, temeritate diſiunctius: nihil tam futile, quàm quicquam ſentire, aut perſuadere ſibi ſine cauſa evidente: nihil tam ſtultum, quàm aut falſum putare, aut quod non ſatis exploratè perceptum ſit & cognitum, ei ſine ulla dubitatione temere aſſentire. Denique quid tam fatuum, quàm in aleæ ludo, ipſi ſibi fortunam ad vo-

tum fingere? Quid obſecro, quid ludus eſt, niſi ſors mera? At quæ ſunt ſortis nomina? Nonne cæca, periculoſa, incerta, temulenta, fallax, iniqua, maligna & proterva dicitur? Alea verò etiam, nonne eiſdem titulis decoratur? atque ab omnibus præceps, dubia, fallax, anceps & damnoſa nominatur? Ac nonne ut cujuſque rei nomen eſt, ita & res eſſe ſolet? Quid eſt ergo, quo minus hanc aleatorum ſpem, & fallacem pernicioſamque opinionem, ſtultiſſimam eſſe dicamus? quæ ſi opinione ſolum conſtaret, neque etiam in turpem actionem prorumperet, minus in illa mali ineſſet, quamvis enim errore aleatores (ſicut elato nimis animo viri) tenerentur, à ſcelere tamen liberi eſſent: credulitas enim error eſt potius quàm culpa. Nunc autem, cum etiam aſſiduo, quod ſperant, facultatum periculo per-

perſequantur, quid poteſt actione illa ſtultius eſſe, quæ neque conſilium neque modum in ſe habet ullum? Quid homine tam indignum, quàm à ratione diſcedere, & temulentæ ſortis dominationi ſe totũ tradere? Sapienter, ſanè ſapienter, & magna conſtantia in officiorum doctrina eſt traditum: Omnis actio vacare debet temeritate: neque verò agendum quicquam, cujus non poſſis cauſam probabilem reddere. Temeritas enim hominem ex homine tollit. At quam tandem aleatores actionis ſuæ cauſam reddere poſſe putamus? Ecquid illos vel veriſimile proferre? Tullium ſi adhibeant, iſque diu meditatus, oratione illorum cauſam defendere ſi velit, nihil unquam præter conceptam temerè ſpem lucri, hoc eſt, animi motionem ad ſtultam & credulam opinionem concitatam producere poſſit.

ſit. Ergo, pecunias fortunaſque ſuas omnes, iniquæ fallaci & pernicioſæ ſorti ſubmittere, quam habebit excuſationem non ſolum temeritatis, ſed etiam inſaniæ? ſi quis univerſis ſuis opibus in punctum ludat, neque id cum uno ſolùm, ſed etiam cum duobus aut tribus unà fecerit: nonne is meritò omnium judicio & voce demens proclamabitur? nonne, ſi deinde maximis in miſeriis ſemper verſetur, meritò id omnes factum eſſe dicant, juſtamq; illum ſui furoris pœnam ſufferre judicent? Atqui eadem eſt in re parva ſortis protervitas, idemque periculum, quamvis bonorum jactura minor. Atque haud ſcio, an, ſicut eum qui quatuor in alea dies, anxia valde cura continenter luſit, ac interea viginti minas perdidit, una id illum hora detrimentum feciſſe melius eſſet: ita etiam, qui univerſis fortunis & bonis

ſuis multis annis magna ſolicitudine, magna & acerba moleſtia, magniſque animi cruciatibus ludunt, an hora id facere illos incommodum, atque ad alias vitæ rationes ſe traducere melius foret? Nulla enim vitæ conditio inveniri poteſt, quæ non multo tranquillior & liberior ſit, quàm illa, in qua ſemper tam ſævus tyrannus imperat, ſemper tam anxia & avara ſpes miſerè homines vexat ac torquet. Et ſunt ſanè non pauci quibus nunquam bene eſſe videmus, niſi cum pecunia illis, quam ſubjicere ſub aleam poſſint, omnino deſit. Iam verò etiam maximam in fiducia & ſpe iſta ſtultitiam ineſſe, proxima ei dementia, in quam parvis admodum momentis aleatores ſæpe incurrunt, apertè demonſtrat. Quis enim non videt, commotos levi damno aleatores, ita ſæpe indignationis & irarum

flammas concipere, ut quod reliquum ſibi eſt pecuniarum iniquiſſima, imo etiam planè deſperata ſorte, inconſideratè adeò & temulenter projiciant, nihil ut ab iis differre videantur, qui cum aquam hauriunt, quia ſitula in puteo remanſit, funem etiam projiciunt? Et quis non illos plùs quàm manifeſti furoris & inſaniæ condemnet, qui eò dementiæ devenerunt, ut dentibus, ſuperciliis, uxore, libertatéque poſita ludant? quorum quoniam exempla protulimus, nihil eſt opus hic reſumere. Ergo cum ſtultam, inanem, temerariam, & planè pernicioſam eſſe hanc ſuam bonæ ſpei fiduciam aleatores didicerint, illamque bonorum ſuorum periculò ſublevare, nihil ab inſania abeſſe cognoverint: veriſſimum eſſe ſibi perſuadeant, quod Vergilio carmen attribuitur,

Luſori cupido ſemper gravis exitus inſtat.

Nam

Nam & ſuprà declaravimus, damnum ſemper in alea, quàm lucrum, certius eſſe: & infinitus aleatorum numerus comprobat.

Nunc ad alteram tranſeo formulam, quæ pernicioſo errori opponitur, quo nullo ſe ſcelere contaminari aleatores putant: quæ quoniam à Cicerone luculenter eſt tractata, & latè patet, ab ipſo deſumere operæ precium puto. Detrahere aliquid alteri, & hominem hominis incommodo ſuum augere commodum velle, magis eſt contra naturam quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cætera quę poſſunt aut corpori accidere aut rebus externis. Nam principiò tollit convictum humanum, & ſocietatem: hoc eſt, naturam, deos atq; homines violat. Si enim ſic erimus affecti, ut propter ſuum quiſq; emolumentum ſpoliet aut violet alterum: diſrumpi neceſſe eſt eam

quæ

Digitized by Google

quæ maximè eſt ſecundum naturam humani generis ſocietatem. Nam ut ſingula corporis membra totum conſtituunt corpus: ita homines ſinguli totam communitatem hominumque ſocietatem componunt. Ut igitur, ſi corporis unumquodque membrum, proximi membri aut nutrimentum aut valetudinem ad ſe trahat, debilitari atque interire totum corpus neceſſe eſſet: ſic, ſi hominum unuſquiſque aliorum ad ſe commoda rapiat, detrahatque quod cuique poſſit emolumenti ſui gratia, ſocietas hominum communitaſque evertatur neceſſe eſt. Quare etiam, ut ſi quod eſt in corpore membrum naturæ parum obediens, quod ſua ſorte minus contentum, totum corpus conturbat, quod ſanitatem deſtruit, quod vicinas ſibi partes erodit, exedit, conſumit: contra id natura magno motu

tu inſurgit, illudque ſi contumax ſit, adhibitis miniſtris pro culpæ & peccati magnitudine, pungenti mordacíque remedio caſtigatur, ſcalpello tunditur, vinculis ſtringitur, denique exſcinditur, ſecatur, uritur: ita rectè ſumpto à natura, optima vivendi duce, exemplo, & gentium jure, & omnium populorum legibus, quibus in ſingulis civitatibus reſpublicæ continentur, conſtitutum eſt, nulli ut liceat ſui commodi cauſa nocere alteri. Rectéque legumlatores naturæ rationi, quæ eſt lex divina & humana, obedientes: eos qui civium conjunctionem dirimunt, damno, vinculis, exiliis, morte coërcent. Nihil enim aliud leges ſpectant, nihil volunt, quam ut ſit incolumis civium conjunctio: quam conſervare qui volet, nunquam committet ut alienum appetat: nunquam, ut quòd proterva ſorte vel tur-

turpi lucro detraxit alteri, id ſibi aſſumat. Nam ut corporis quidem membris conceſſum eſt, totius cum pace, exercitatione, fotu, quiete, valetudinem ſuam & vires, ſi poſſint, augere, ac firmiores facere: ita, ut ſibi quiſque quod ad uſum commoditatemque vitæ pertinet, acquirat, & potius etiam ſibi quam alteri, conceſſum eſt, non repugnante natura. Illud quidem natura non patitur, ut aliorum ſpoliis noſtras facultates aut copias augeamus: ſed ſuæ cuique utilitati, quod ſine alterius injuria fiat, ſerviendum eſt. Qui verò alterius incommodo ſuis ſtudent utilitatibus, naturam pervertunt, humaníque generis ſocietatem dirimunt: idque, etiam ſi maxima premantur inopia, & vel fame conficiantur. Suum enim cujuſq; incommodum ferendum eſt potius, quàm de alterius commodis ſubtrahendum,

dum. Neque verò cuiquam tàm vita cara eſſe debet, quàm animi talis affectio, neminem ut violet, ſui commodi cauſa. Nam quodvis eſt incommodum potius ſuſcipiendum, quàm injuſtè, quàm avarè, quàm libidinosè, quàm incontinenter quid faciendum, Deos etiam homineſque omnes cælare ſi ſemper poſſit. Errat enim vehementer, qui ullum aut corporis aut fortunæ vitium, animi vitiis gravius exiſtimat. Neque verò ſolùm hoc Philoſophorum inſtituta ſic docent, omneſque omnium gentium leges comprobant: ſed etiam multo magis exigit ipſa naturæ ratio. Etenim multo magis eſt ſecundum naturam, celſitas animi & magnitudo, itemque communitas, juſtitia, liberalitas: quàm voluptas, quàm vitia, quàm divitiæ: quæ quidem contemnere & pro nihilo ducere, comparantem cum utilitate

communi, magni animi eſt, & excelſi. Detrahere autē alteri, ſui commodi cauſa, magis eſt contra naturam, quàm mors, quàm dolor, quàm cætera generis ejuſdem. Itemque magis eſt ſecundum naturam, pro ſervanda patria, pro continenda in officio civitate, pro juvandis ſi fieri poſſit omnibus hominibus, maximos labores moleſtiaſque ſuſcipere, quàm ſine ullis moleſtiis, etiam in maximis voluptatibus, abundantem omnibus deliciis & copiis in ocio & ſolitudine vivere. Omneſque optimo & ſplendidiſſimo ingenio viros, Herculem illum (quem hominum fama beneficiorum memor, in concilio cœleſtium collocavit) imitatos, longè illam vitam huic anteposuiſſe videmus. Ex quibus certè efficitur, hominem naturę obedientem, homini nocere non poſſe. Deinde, cum (ut dictum eſt) velut u-

nius

nius corporis membrum omnes ſimus, unum debet eſſe omnibus propoſitum, ut eadem ſit utilitas uniuſcujuſq; & univerſorum: quam ſi ad ſe quiſq; rapiet, diſſolvetur omnis humana conſociatio. Atq; ſi hoc etiam natura præſcribit, ut homo homini, quicunq; ſit, ob eam ipſam cauſam quod is homo ſit, conſultũ velit, neceſſe eſt ſecundum eandem naturam omnium utilitatẽ eſſe communem.

Quod ſi ita eſt, una continemur omnes & eadem lege naturæ. Idque ipſum ſi ita eſt, certè violare alterum lege naturæ prohibemur. Atque hæc quidem omnia, ſplendidè ſanè ſunt ex optimorum omnium philoſophorum decretis ſic diſputata: qui ſi ſola naturæ ratione judicarunt, eos qui conſtitutam inter homines ſocietatem evertunt, impios eſſe adverſus deos immortales, à quibus illa eſt conſtituta: ſi

nihil eſſe utile cenſuerunt, niſi quod cum honeſtate eſt conjunctum: ac ubi turpitudo ſit, ibi utilitatem eſſe non poſſe: ſi denique turpitudinem, etiam omni impunitate propoſita, per ſe maximè fugiendam eſſe, honeſtatem verò appetendam ſtatuerunt: quid inquam, quid nobis Chriſtianis ſentiendum eſt, qui non ſolum iſta ex Philoſophorum inſtitutis, atque Herculis exemplo edocti ſumus, ſed etiam ab ipſo præpotente Chriſto, Dei opt. max. filio & voce viva & facto accepimus? qui non ſolum unius nos eſſe corporis membra, ſed etiã unius patris filios, diſertè docuit: qui non ſolum non concupiſcere alienum præcepit, ſed etiam ſublevare aliorum omnium, etiam inimicorum, onera, proprio exemplo commonſtravit. denique, qui nobis hoc primum atque ultimum præceptum reliquit, ut ſicut ipſos,

ipſos nos, alter alterum diligamus, ac præter cætera omnia charitatem colamus. Et ſi veteres illi ſolo naturæ inſtinctu moti, nullum, ne ſapientem quidem, etiam homini ad nullam rem utili, detrahere quicquam, ſui commodi cauſa, ſine maxima injuſticia poſſe judicarunt, atque is etiam ſi fame conficiatur, potius ut intereat cenſuerunt, quàm ut injuſtè quid committat: quid obſecro, quid de aleatoribus judicandum eſt? qui, dum ſibi bene ſit, in alterius ruinis exultant: qui non neceſſitate aliqua, aut periculo inducti, ſed ſola luxurioſa quadam cupiditate turpi lucro, ſuas ut voluptates expleant, conſultò & cogitatò mutuum ſeſe fortunis ſpoliant, mutilant, lacerant? Immò qui nullam exercitii officinam aliam, nullum fundum, niſi alveolum habent? Quæ illis digna ſatis pœna afferri

poterit? quis non eos aqua & igni interdici jubeat? quis non illos ex civitate, atque ex finibus humanæ naturę, tanquam peſtes deteſtandas, exterminet? Quo magis nequeo ſatis mirari, multos adeò inveniri, qui non ſolum negligenter & ocioſe, nullum in alea peccatum eſſe dicunt: ſed etiam ignoranter atque impudenter quaſi mercaturam exercere colluſores judicant. O inſignem hominum dementiam. Illudne, in quo ſolus caſus dominatur, ſola cupiditas regnat, proprium commodum, alterius incommodum ſpectatur, mercaturæ (quæ conſilio adminiſtratur, & Reip. commoda atque utilis eſt) ſimile uſquam eſſe poteſt? An non potius immanibus tyrannis, ſine ulla cauſa exitiale bellum inter ſe impia dominatione gerentibus, ſimiles videntur? An non, ut ſi digitus unus aliquis, alio-

rum

rum movendi ſentiendique facultatem omnem ad ſe trahere nitatur, hoc faciunt, ut, quam plurimum ad ſe commodi deveniat, ab aliis diſcedat? O cupiditatem injurioſam atque iniquam, ò turpem & ſeditioſam actionem, quæ humani generis ſocietatem violat, quæ omnia divina atque humana jura perturbat atque evertit. Quæ quamvis ipſa per ſe eſt injuſtiſſima, tamen etiam propter infinita ſcelera, quibus undique complicata exitialis magis, & quavis etiam peſte pernicioſior exiſtit. *Ludus enim*, ut Horatius ait,

— genuit trepidum certamen, & iras:
Ira truces inimicitias, & funebre bellum.

Ac ſi te fortè Sanctorum virorũ exempla magis movent, Iſidorus Hiſpalenſis epiſcopus, homo etiam inſigniter doctus, in ſuo Etymologia-

rum libro: Ab alea, inquit, fraus & mendacium atque perjurium nunquam abeſt. Poſtremò, & odium, & damna rerum, unde & aliquando propter hæc ſcelera interdicta legibus fuit. Cum igitur cætera ferè vitia uno aliquo in genere mali maximè verſentur, alea verò ita eſt omnibus ſimul flagitiis inquinata, ſingula ut præcipua habere videatur. Quis enim aleatore magis in Deum eſt impius & contumelioſus? quis in proximum injurioſus magis? quis, quod omnia in ſe complectitur & deſignat mala, temerarius & audax magis? Nam quid non is audebit tandem, qui eas quibus ipſe, uxor, filii opus habent copias, fritillo fortunæque ſubjicit? Neſcimus, heu neſcimus quid aleator præceps, ira fluctuans, æſtuanſq; offenſione, in animo verſat: nullum ille malum non concipit animo: nullum non infan-

dum ſcelus, quaſi ultionem Deo parans, anhelat. Sed ſupra, cum de aleæ eventis tractaremus, quantum in illa malorum eſſet breviter diximus: quorum nunc magnitudinem dilatare quamvis opportunum foret, tamen vel quia ſufficiunt illa, vel quia ſua excellentia præſtantiáque ſunt conſpicua, ſuóque ſplendore elucent, conſultò præteribimus. Satis enim, præter ea quæ diximus, ſatis ſit omnibus, ſanctiſſimis illam legibus jam olim uſque vetitam eſſe: nullumque majus alicui vitium vel crimen objici poſſe, quàm Aleatoris nomen. Ita enim Cicero in Antonium invehitur, qui nullum temporis punctum vacuum peccato præterire patiebatur: Homo, inquit, nequiſſimus, qui non dubitaret vel in foro alea ludere, lege ea qua eſt de alea condemnatus. Atque ipſe præſtantem dignitate & virtute virum novi,

novi, qui clariſſimi adoleſcentis, multis alioqui & fortunæ & ingenii præclaris dotibus ornati, nuptias recuſavit, ac generum abdicavit, ſolùm quia turpis aleæ nota inſignis erat. Committere enim ut aleator quis nominetur, ita ad famam ſordidum putabat, nunquam ut elui poſſe tantam labem judicaret. Et quidem nulla illi res conſtans aut ſtabilis eſſe poteſt, qui nullum ſibi in caſu præſidium collocat. Citò illi, qui ſe ſuáque fortunæ committit omnia ex lætitia & voluptate ad luctum & lachrymas redeunt. Sed jam ad alia tranſeamus.

Poſtquam ſtultam & pernicioſam, deinde etiam injuſtam & injurioſam eſſe ludendi cupiditatem hanc, qua flagrant, aleatores didicerint, atque in ea cogitatione diligenter ſe exercuerint (id enim inprimis facere debent) tum ſi quando ad-

adhuc turpe deſiderium illos vexabit, ſic ſecum reputent: Hem quid hoc eſt mali? Ergóne ſemper ſtultus atque improbus ero? Atque, ut corpore febrem depellam, cibo potuq; multos me dies abſtinebo, domi etiam & in lecto continebo: ut animum perpetuo dolore & cruciatu, immo perpetua morte liberem, ut ſine moleſtia liber & quietus vivam, ut rebus honeſtis multum temporis acquiram, ne tentabo quidem? At dulce eſt, ex ſorte quod accedit lucrum. Ecce autem iterum. Dulce, concedo. Sed quod lucrum credula ſpe putas, & ſic naturæ quodam vitio comprehendis animo, jam contrà damnum & incommodum eſſe maximum didiciſti. Neque vero (ne quid erres) ſi quando onuſti pecunia aleatores domum redeunt, id lucri appellatione accipiendum venit: uſura eſt fortunæ, & quidem gravis ni-

nimis. Mox enim quod dedit, magno iniquiſſimoq; fœnore repoſcit.
At non poſſum mihi perſuadere. Gravis ſanè ægritudo, quæ mentem uſque eò perturbat, ut quod clariſſimum eſt, non ſinat videre. At ſaltem hoc tibi perſuade, quod verum etiam eſſe demonſtravimus: Peccatum in alea maximum, & ſcelus eſſe. Hoc quidem poſſum: nam facilius mihi videtur, ſed tamen propter cupiditatem negligo. Et ſæpe meliora cogitanti, tum ſemel adhuc tentandum videtur. Verè tu quidem & ſincerè dicis, ac qua te parte maximè dolor premit oſtendis. Nimirum turpis lucri dulcedo, & ſpei etiam alacritas, quam toto pectore ſtultus concepiſti, totum adhuc inflammavit: ac quod omnes ab affectibus detenti faciunt, falſa opinaris. Nunc igitur iterum cogitationem tuam ſic excita; neq; quod plerique igna-

ignari morbi, & tu ſæpe facere ſoles illa tantum, aut paucis adhuc vicibus te luſurum eſſe, falſo tibi proponas. Sed potius ſic cogita: Ita eſt, uti ratio dictat. Improba hæc & gravis eſt affectio, quæ vehementer adeò ad ludendum homines impellit, ut veluti rapere illos ſuo impetu videatur. Itaque non uno aut altero in concurſu res poſita eſt: altius multo malum hæret. Nam quod nunc ipſe mecum cogito, paucis tantum adhuc numis aut diebus ludere velle, deinde finem facturum: ſtulticia eſt. Nihil ago. Amoris ſunt verba, qui dum potiatur modò, nihil ultra curat, ſua nihil refert. At illud verum eſt: vel ea tantum vice ſi ludas affectionem & malum augebis. Habet enim hoc omnis libido, ut ſi potiatur, creſcat, & major ac vehementior fiat: ſin caſtigetur, tenuis atque imbecilla reddatur. Atque ut ſunt

nonnulla corporis vitia, quæ neglecta principio, mox propter magnitudinem curari non poſſunt: ita animi vis illa, cujus eſt temerè concupiſcere, ſi negligatur, ſi ſua libidine ferri diu permittatur, cupiditate accenditur inſanabili. Quare magnum etiam ex una vice malum accedere poſſe puta: Deinde, cum ludendi finem non ſis facturus, (inſatiabiles enim ſunt cupiditates) fieri non poteſt quin peſſimè tandem tecum agatur, atque in maximas incidas miſerias: præſertim cum, ut es intemperans, plus ſemel infœliciter ludendo perdas, quàm ſi quater feliciter agas lucrari ſoleas. Ecquid ergo te ſponte is perditum? ecquid ad illum ſcopulum curſum dirigis, ad quem cùm multi quotidie, tum ipſe etiam ſæpe naufragium feciſti? Nonne vides, quod accedere ex unius diei lucro tibi poteſt exiguum

id

id eſſe: quod diſcedere quantumvis parum magnum in detrimentum cedere? Poſtremò, itáne ad meliora natus, Deos immortales negligis, famam contemnis, animam deſpicis, ut rem tuam ſi maximè veluti furto vel peculatu augere, atque ampliorem facere poſſis, tamen id velis? Reſpice inquam te, reſpice cupiditatem ſerve miſer. Et ſi liberari à domino tam crudeli atque impio cupis, ſemel omnem hanc affectionem extirpandam radicitùs eſſe cogita. Neque unam tibi aut alteram luſionem proponas: ſed potius cogita, quod

Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.

Volenti nil eſt difficile. Nam ſi multi longa meditatione, naturæ illos affectus ſuſtulerunt, qui etiam ſubitò hominem invadunt, & prius quàm detur cogitandi locus oppri-

munt: quid, illud ne ferendum erit, quòd in quo datur cogitandi tempus, corrigendi locus, in eo toties velut in eundem lapidem, ſemper magna læſione ut impingas? Iam inquam, jam nunc obſiſte. Neque illud expectare tempus velis, quo facultatibus & copiis tuis omnibus ſpoliatus, non tu ludum reliquiſſe, ſed ille te deſeruiſſe dicatur. Atque ut meretricis amoribus continuè qui ſtudent, & nimis illis indulgent, multis poſt annis debilitatis fractisque membris omnibus, miſerrimi, tamen deſiſtunt: ita tu, cum unde precium ſperare poſſis, nihil amplius habebis, tum etiam invitus, magno conſcientiæ cruciatu, & ſummo dedecore, abſtineas. Hæc igitur omnia diligenter ſecum reputent, & dies ac noctes cogitent aleatores avidi, neceſſe eſt. Nam quod in nobis eſt cupiditatis ac furoris,

ra-

ratione erudire & coercere oportet. Erudietur autem meditatione aſſidua, & moderabitur continentia, quæ ſola eſt ad modeſtiam via. Sed cùm omni tempore, quæ diximus, facere eſt operæ precium: tum præcipuè continere ſe debent, cum poſt dies aliquot, ab alea ſibi temperarint, quaſi veteris flammæ incendium renovari, magno intus motu ſentiunt. Principiò enim ſemper, & tunc cum maximè eſt opus, maxime curationem adhibere oportet. Ut enim confecta graviore damno, vel quavis alia cauſa cupiditate, repreſſo furore prudentius temperatiuſque pericula diſpicere, & cujuſque rei indignitatem omnes poſſumus: ita contrà ſi quando vehementius paulo, aut ſubito etiam, in nobis exurgit cupiditas, tum veluti caliginem mentis oculis offundens, nil niſi quod ante pedes eſt, videre permittit.

tit. Hic igitur præcipuè ſumpto ſpacio, ſuſcitanda eſt ratio, ut contra turpem cupiditatem inſurgat, atque atroces ejus motus comprimat, prius quam vel inanis lucri gaudio, vel vera deperditæ pecuniæ offenſione, vires reſumat, ac tum difficulter ad obedientiam reduci poſſit. Quod quo facilius omni tempore, etiam ex improviſo oppreſſi, præſtare poſſint, commodum erit breves aliquot ſententias, utiles cumprimis & veras, diſcere, quibus memoriæ fideliter mandatis, nunquam non in mentem revocari poſſint. Sunt autem hujuſmodi. *Camelus, dum Cornua Affectat etiam Aures perdidit.* Et, ſicut Auguſtinus ſanctiſſimè dicit, *Qui periculum amat, dignus eſt in periculo ut pereat.* Deinde: *rei familiaris amplificatio nemini nocens, vituperanda non eſt: Sed vita cuique potius amittenda, quam*

quam alterum ut violare in animum inducat ſui commodi cauſa, Deos etiam homineſque omnes celare ſi poſſit. Nam ſi unum in locum collata ſint omnia mala, cum turpitudinis malo non erunt comparanda. Quæ quia in primis mali cauſam reſpiciunt, non inutiles judico. Et cùm hæc in ore atque animo, tum etiam in memoria ſemper habeant, quanta ſit eorum qui alea ludunt deformitas, timor, perturbatio, ſuſpenſus incertuſque illorum vultus, crebra coloris mutatio, ſępe ante oculos verſentur: deinde, quantum calumniæ ſcelus, cogitent: poſtremo, quam magnis & multis incommodis conflictentur. Contrà verò, quantum illorum qui ſua ſorte contenti vivunt, decus: quanta tranquillitas animi, & quies. Tum ſi quos etiam familiariter norint, quibus alea ma-

gno detrimento ac damno, magno etiam dedecori & infamiæ fuit: illorum ut vitam, omnibus malis & miſeriis refertam, diligenter inſpiciant, moneo. Atque hæc quidem quæ diximus omnia, illam directè partem attingunt, qua laborare prius ægrotum animum aleatoris diximus: quibus quidem ſæpe & tempore adhibitis remediis, memini me graviter ægrum & afflictum animo miſerè adoleſcentem, magna relata gratia, omni prorſus ludendi cupiditate liberaſſe. Neque verò ſemel iſta tantum ſunt legenda, ei qui utilitatem ex ipſis percipere velit: ſed ſicut in corpore curando, quæ recta ratione fiunt medicinæ, etiam ſi utilitas ſtatim non ſubſequatur, tamen continenter ſunt adhibendæ, neque ad alia tranſeundum, aut deſperandum interea: ita etiam animum quæ curant remedia,

diu

diu & aſſiduò admoveri debent: neque dum utilitas conſequatur, & ægritudinis levamentum ſuccedat, unquam ſunt relinquenda. Equidem adoleſcentem illum, de quo dixi primùm ſingulis iſta diebus & mane & veſperi legere juſſi: poſtea verò memoriter recitare: &, quod juvat in primis, ſæpe totius rei indignitatem diſputando inquirere & examinare.

Verùm quia, ut in corporibus impuris accidit, quæ quanto quis nutrire volet magis, tanto lædet magis: ac proinde ſæpe totius, prius quàm partis affectæ, ratio habenda eſt: ita etiam in animo ſimiliter uſuvenit. Ideo non hac ſolum parte, ſed etiam toto ſui veluti corpore, ut ſano & puro ſint animo, ſedulò admodum curare aleatores debent. Neque verò ſatis eſſe putent, in una ſibi alea temperare, niſi etiam ab omni

alia

alia cupiditate & nequitia ſe abſtineant, omnique dedecori ac turpitudini parêre deſierint. Ad omnem enim animi moderationem, omni ſtudio diligentiáque contendere debet, quicunque probus ac bonus eſſe velit, ad quam quidem una eſt ratione duce, per continentiam, via. Hoc ſiquidem modeſtus ſuperat continentem, quòd ille ne cupit quidem amplius turpium voluptatum quicquam. Nam quid prodeſt laboranti pedi vel brachio ſuccurrere, atque interim pectoris aut capitis malo perire? Nihil hercle magis, quàm ſi quis præclaram civitatem una aliqua debiliori parte ab hoſtium impetu probè tueatur & defendat, atque interea alio ſi expugnatur loco. Sunt igitur omnes cupiditates extirpandæ: idque uſque eò, ut ne radicem quidem ullam in animis relinquant amplius. Nam ex iis quæ
ſic

ſic relinquuntur, ſolet rurſus aliquid pullulare, dum idipſum à nequitia & pravitate irrigatur. Quare integram liberamque obedientiam præſtemus oportet. Quod jam quamvis neque præſentis planè propoſiti, neque brevis orationis negotium videtur: breviter tamen etiam, quomodo hoc aſſequi poſſint adoleſcentes, quid potiſſimùm in animum inducere ſuum debeant, exponemus: non hercle id, tanquam illi qui omnem in eo operam conſumunt, qui multi ſanè fuerunt: ſed quaſi ad præſentem curationem, quæ maximè videbitur remedia deſumentes. Eſt enim veluti corpus, ita etiam totus aliquando animus purgandus. Sunt autem illa tria. Primùm, Pietatem omnibus rebus ut colendam eſſe teneant: idque tanquam fundamentum omnium totius vitæ cogitationum & actionum jaciant. Id enim

enim virtutis exempla, Æneas & Ulyſſes, illè apud Virgilium pius, hic apud Homerum bonus: præſtiterunt: & præcipuum velut omnium laborum atque adverſitatum ſuarum fundamentum habuere. Deinde, ἡδονὴν καὶ ἀναλγησίαν, hoc eſt voluptatem & indolentiam, omnes quam concupiſcunt, modeſtia & καλῷ, id eſt honeſto, parari. Eſtque hoc verum & probabile. Nam τὸ καλὸν δι' αὐτὸ αἱρετὸν: hoc eſt, quod honeſtum, per ſe expetendum eſſe, difficile eſt hominibus perſuadere. Ipſe enim Epicurus (à quo omnes illi φιλήδονοι, id eſt, cupidi voluptatis, mali verborum interpretes, proficiſcuntur) dicit: Οὐκ ἔστιν ἡδέως ἄνευ τοῦ καλῶς καὶ δικαίως ζῆν. hoc eſt, Non poteſt jucundè, niſi honeſtè & rectè, vivi. Itaque omnes, etiam illi qui verè φιλήδονοι à Philoſophis appellantur, ſunt φιλόκαλοι καὶ φιλοδίκαιοι:

id eſt, cupidi honeſti & juſti, omneſq; virtutes & colunt & retinent. Neque ſolum in eo docti & ſapientes Philoſophi conveniunt: ſed ipſe etiam hoc Chriſtus docuit: Iugum enim, inquit, meum ſuave eſt & onus meum leve: & impiorum vox eſt: Laſſati ſumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Itaque quæ maximè mali petunt & concupiſcunt, ad bonos perveniunt. Quæ quidem ſic breviter dicta, magnas ſanè vires habent. Tertium eſt: Eum demum, vel potius eum ſolum omne tempus ætatis ſine moleſtia degere, qui ſua ſorte contentus vivit. Omnium enim moleſtiarum, omnium angorum & ſolicitudinum, quæ quidem hominum animos in hac vita affligunt & miſerè vexant, unica eſt inſatiabilis cupiditas cauſa. Itaque rectè Horatius inquit:

Nil admirari, prope res eſt una Numici,
Solaque quæ poſſit facere & ſervare beatum.

Eſt autem inſatiabilis habendi adipiſcendique libido, ſimilis ventriculi magnæ voracitatis, qua plus quàm ſatis ſit, ciborum appetitur & continuò ingeritur. Etenim cibo nulla alia cauſa egemus, niſi ut alamus corpus. Alit verò corpus, ſi bene concoctus fuerit: bene autem concoquitur, ſi modicus. Nam ſi immodicus aut nimius fuerit, coctionem non admittit, ſed corrumpitur: & vel dejectus per inferiora, profuſionem alvi excitat: vel diſtributus per univerſi corporis habitùm, malum intra venas humorem gignit. Itaque ut multo morborum pars maxima, ex nimia ciborum appetitione eſuque naſcitur: ita animi inexhauſta cupiditas, plura perpetuò ex-

expetens quàm ipſe uſus poſtulat, una omnis ægritudinis, omnis mœroris atque triſtitiæ eſt cauſa. Neque enim expleri cupiditates unquam poſſunt, quantumvis eis quod expetunt offeratur abunde. Sed ſicut naturalis appetitio potus rectè ſedatur, ſi quantum eſt opus liquoris ſuppetat: quæ verò ex morbo eſt ſitis potionis oblatione increſcit magis (id enim in febri & hydrope videmus:) ita etiam animi deſideria moderatà & recta, explentur commodè: cupiditates verò, quæ procul à recta ratione diſcedunt, nunquam eorum quæ cupiunt exhibitione ſaturant. Eſt igitur cupiditatis malitia, ratione & conſilio auferenda. Ea namque accenſi qui ſunt, præſentium rerum inexplebiles, nunquam concupiſcere deſinunt. Sed ſi duplum quippiam habeant, triplum illico ſtudent acquirere: triplum nacti

quadruplum appetere incipiunt: qui quidem nunquam proponunt ſibi eos qui pauciora poſſident, ſed illos tantum qui plura, quos etiam ſuperare conantur, in quo ſanè vel maxima ineſt moleſtia. Nam ſicut ad tranquillitatem vitæ cautio eſt, eos ſemper qui minus habent & poſſunt reſpicere: ita contrà ad ægritudinem animique mœrorem facit, potentiores & meliores intueri, ſibique continenter proponere. Quamquam certè multo ſatius eſſet, in eo ut quiſque cæteros antecellere ſtuderet, ut iis quæ nunc habet, ſit omnino contentus. Id quod certè virtutis certamen eſt, & in noſtra poteſtate ſitum. Contrà divitiis præſtare, non virtutis, ſed fortunæ munus eſt: quæ plerumque ſervos homineſque improbiſſimos, longè ditiores nobis facit. Neque verò illorum aliquis plus quàm cæteri ſuæ civitatis homi-

nes

nes divitiarum nactus, tum contentus fuerit: ſed mox aliarum civitatum, eos qui ſe ditiores ibi ſunt, reſpiciet: quos ſi juvante fortuna ſuperaverit, tum etiam ad alias progreditur nationes: atque etiam illis quos ibi opulentiores invenerit, potentior eſſe contendet. Denique, ut ſummatim dicam, unus omnium rerum dominus factus, quod Alexandro Magno contigiſſe legimus, ei exiguus ſibi terrarum orbis videbitur. Uſque adeò nunquam ſatiari inexplebilis cupiditas poteſt. Eademque eſt honoris & gloriæ, imò etiam omnium libidinum ratio. Nam ſi cui non ſatis fuerit ab iis honorari quibuſcum vivit, & quorum utitur conſuetudine, ſed velit omnino ab omnibus qui ſunt in civitate laudari: deinde etiam ab illis quibus planè eſt ignotus, & abſunt longè, primùm quidem ab iis ipſis cog-

noſci volet: tum autem, ubi cognitus fuerit, ſuſpici etiam. At illud quidem, velle cognoſci ab omnibus ab immenſa quadam proficiſcitur gloriæ cupiditate: hoc autem, quod eſt velle honorari & ſuſpici, ab inani planè & ſtulta ambitione. Quocirca neceſſe erit, ut pecuniis quærendis invigilanti, ita nunc ad gloriæ honoriſque ſtudium pari cura connitenti, ob illos qui multi ſemper erunt, à quibus neque cognoſcetur, neque honorabitur, majore etiam quàm antea mœrore doloréque afficiatur. Si igitur hujuſmodi cogitationes ſæpe ſuſcipiemus, jam exploratum habentes, ἀπλησίαν vitium animi peſſimum eſſe fontemque omnium cupiditatum, pecuniæ, gloriæ, honorum, principatus, contentionis: haud dubiè omne tempus ætatis ſine moleſtia degere poterimus. Quod, quis eſt qui non-

aſſe-

aſſequi velit, & longè omnibus aliis in vita rebus anteponat? Nam ſi libertatem illam, quæ humanis legibus accepta refertur, meritò maximi facimus omnes: quanto eſt pluris æſtimanda illa, quæ verè & natura ipſa eſt libertas? Quæ non ſolum à domino nos, ſed etiam impuriſſimo domino vindicat? Quid enim eſt miſerius, quàm lucris turpibus, & minutiſſimis quibuſque pecuniariis rationibus inſervire? quid durius, quàm gloriæ honoriſque cupiditatibus parêre? Atqui horum omnium mater eſt, inexplebilis habendi libido. Quam qui peſtem habet, nunquam ille probus aut honeſtus eſſe poteſt: immò verò ille quovis malo dignus eſt. Porro autem hanc ipſam ἀπληςίαν cùm omnes qui ſalvi& boni eſſe cupiunt,tum multo magis adoleſcentes & odiſſe & fugere debent. Nam ſi fortè ini-

tiò aſſueverint pecuniam inſatiabiliter cupere, fieri jam certè non poterit, ut cum ad annum pervenerint quadrageſimum, ſeipſos recuperent. Et quamvis difficile atque arduum videatur, adoleſcentes adhuc, ſtatim à principio, liberare ſeſe affectibus, progreſſu tamen temporis omnia faciliora reddentur. Quo enim majus rationalis animi noſtri pars in ejuſmodi exercitationibus & ſtudiis incrementum acceperit, eo perfectiorem obedientiam habebit. Nam cum ea quæ maxima ſunt, ratio nondum exercitata pervicerit: minimè dubium eſt, quin ubi duplicem excellentiam ſpacio temporis adepta fuerit, ſit multo facilius ſuperatura. Quippe ex eo quod jam ſeſe exercuerit, evaſerit multo generoſior quàm antea: proinde ſic abunde ſufficiet exterminandis affectibus, jam etiam imbecillioribus

red-

redditis. Atque hæc quidem omnia ad modeſtiam, obedientiam voluntariam, & libertatem comparandam pertinent.

Nunc ad alteram illam partem, quæ continentiam & affectus contumaces reſpicit, qui rationis imperium detrectant, tranſeamus: ac quomodo etiam illos coërcere & reprimere poſſimus, oſtendamus. Ubi jam altius quædam de affectibus nobis ſunt repetenda, quæ & præcedentium intelligentiam adjuvabunt.

Duplex eſt affectuum genus. Unum rationis eſt particeps, idque propriè, & in ſe ipſo: cogitationem enim ſive rectam, ſive apparentem aut erroneam ſequitur, ab eáq; movetur: itaque conſilio ſedari atque excitari poteſt. Atque hinc eſt, quod oratores ſe in hominum animos imperium habere dicunt. Et in ſomniis videmus, multis uſque adeò ob-

objecta terribili ſpecie cor commoveri, ut excitatis etiam ſomno, pulſus diu poſt, non ſecus quàm gravi timore perculſis contingit, frequentes & celeres ſentiantur. Motus enim animorum, ſicut & pulſus, cordis etiam quadam dilatatione & conſtrictione fieri conſtat. Mens verò concitata, inæquales ac vitiatos reddit pulſus. Et quæ ex animi perturbationibus fiunt febres diariæ, omnes maximè ex pulſus varietate cognoſcuntur. Sed de hoc genere ſatis diximus. Alterum eſt, rationis expers, contumax, & quod rationi repugnat atque obſiſtit: quale in continentibus, & multo magis impotentibus videre licet, quorum cupiditates in contrarias partes diſtrahuntur. Ratio enim ad honeſtum vocat, cupiditas verò ad voluptatem trahit. Quod tamen genus, quamvis expers rationis eſt, tamen

etiam

etiam rationi paret, ſed quodammodo. Nam parêre, & admonitiones & objurgationes & adhortationes indicant. De quo quidem genere nunc agendum eſt: & quo illud imperio regendum ſit, declarandum. Prius tamen, unde iſti in natura contumaces & ſeditioſi affectus excitentur, qui contra rationem inſurgunt, dicendum. In natura integra & perfecta, h. eſt, mentis & corporis abſoluta ſanitate, nulla proculdubio confuſio, nulla perturbatio eſſet affectuum cum ratione: ſed mens noſtra, quæ Dei eſt imago, Deo tum planè ſimillima, rerum omnium naturam perſpiceret: ac nihil niſi altum & perfectum cogitans, nil niſi verum in clariſſima luce contemplans, omnia convenienter vellet: nulláque contra rationem naturalis potentiæ motus aut facultas eſſet, ſed liberè maxima in con-

cor-

cordia & pace homo viveret. Verùm nunc, proh dolor, corrupta eſt natura: magnáque & denſa in caligine immerſa hominum mente, corpus etiam magis à natura receſſit ſua. Atque hinc illa conturbatio nata: hinc, quæ conjuncta unanimiter fuere, diviſa jam ſunt. Hanc & mentis & corporis labem, Theologi Peccatum originis, Paulus concupiſcentiam vocat. Atque hæc virium rebellio, quamvis in omnium animis hæret, tamen & varia eſt, & longè in aliis pro temperamenti varietate contumax & ferox magis. Hujus generis exempla ſunt: Invidere alienæ laudi: appetere alterius conjugem, prædium, ultionem, voluptates turpes, & ſimilia: quę quamvis ratio fugienda dictet, adeóque expellere ex animo vellet, tamen continenter & moleſtè vexant, omnique in loco premunt, ac vermium

mium inſtar rodunt. Hæc ſi uſque adeò exultant, ut rationis veluti nuncium contemnant: tum verò loco motiva facultate (ſic enim vocant eam quæ membra movet,) ne in turpes actiones prorumpant, non ſemel tantum, ſed, ſicut Æneam feciſſe mox demonſtrabimus, ter cohibenda fortiter ſunt: ac ne longius evagentur, ſuis ſunt carceribus concludenda. Ut enim inquit ille:

— *Ter victa libido, recedit.*

Idque mox in perſona Didonis videbimus. Agnoſcenda naturæ imbecillitas: atque ut in febre ſitis, quia ratio ſuadet, ferenda, non explenda eſt. Poteſt enim voluntas continere manus, pedes, oculos, linguam, ne pravis cupiditatibus morem gerant, vel turpiter quid faciant. Atque hoc modo impoſito membris freno, qui contra rationem inſurgunt affectus, ſunt continendi. Cum enim cor non

deponit vitioſum affectum, foris membra cogenda ſunt, ne ruant, quò affectus impellunt. Quod quidem duplex in natura hominis imperium, etiam civitates & familiæ exprimunt, atque imitantur. Qui enim boni cives ſunt, magiſtratui recta conſulenti imperantique, non coacti, ſed perſuaſi, ita planè parent, ut unà id velle & imperare videantur, habentque hos proprios cum ratione impetus. Nam mox aliter perſuaſi, eos remittunt. Eſtque hoc civile imperium. Qui verò mali, ſeditioſi & contumaces ſunt cives, ut maximè cupiant perturbare omnia, & contra rationem facere: tamen in officio tanquam freno continentur: atque etiam inviti & domi manent, & evocati foras veniunt, aliaq; multa ſecundum rationem faciunt. Hæc eſt herilis gubernatio: ut cum domini ſervis imperant, quos videlicet

licet cogunt, nec licet eis detractare dominorum imperium. Neque vero ſolum in hominibus abjectis & privatis magni contra rationem motus inſurgunt, ne quis id non commune malum putet: verum etiam præſtantiſſimi omnes viri, eam naturæ luem mirè ſentiunt. Maximè autem omnes amore ſævo, & dominationis cupiditate, atque alea ſaucii, magno labefactantur dolore, magnáque veluti ventorum vi & flatu quatiuntur. Hic igitur omnes exemplo Æneæ Vergiliani, etiam adverſis maximè ventis & tempeſtatibus, quo Deus & ratio vocat, navigare debemus: neque turpiter ullis adverſitatibus aut fluctibus, hoc eſt cupiditatibus ſuccumbere. Atque is quidem certe quomodo libidini omnes moderari debeamus, præclare mihi monſtraſſe videtur. Nimirum.

Magnoque animum labefactus amore,
Iuſſa tamen divum exequitur —
Cujus quidem exemplum, propius hic mihi inſpiciendum atque examinandum videtur. Omnem enim cupiditatis magnæ non ſolum vim, ſed etiam vivendi regendique modum Vergilius explicaſſe mihi, ſub ejus & Didonis perſona videtur. Quæ ut impatientia amoris victa, planè voluntate atque animo fœmina ſuccumbit: ita ille contrà præſtanti fortitudine vir, ἕπεται θεῷ, id eſt, Deum ſequitur. Primùm igitur, quod omnibus contingere ſolet, ut mediis etiam cupiditatum voluptatibus, perfruentes ſæpe ſive à Ratione ſive à Deo, immiſſa cogitatione meliore, & moneamur officii, & reprehendamur turpitudinis (nemo enim uſque adeò vitiorum omnium voraginibus ſummerſus jacet, qui non

non aliquando tacito conſcientiæ convicio verberetur :) ita Æneam jam diu ſuarum rerum & famæ melioris oblitum, dum ſecurus amoribus indulget, arces fundat, & pulchræ civitatis fundamenta locat, continuò Mercurius (quæ ipſa Ratio eſt) invadit, atque à Jove mandata, quorum, Ut naviget, ſumma eſt, exponit. Æneas verò, attonitus divino monitu, obmutuit,

Arrectæque horrore comæ.

Non enim contemnendus aut negligendus eſt Dei Rationis nuncius, quocunque tempore aut loco miſſus veniat : ſed magni potius eſt æſtimandus. Mox igitur relinquere dulces terras parat : ac jam tum voluntate tota, membris imperare cœpit :

Mneſthea, Sergeſtumq; vocat, fortemque Cloantum :
Claſſem aptent taciti, jubet. - Et

 tum

tum multis pro eo à Didone convi-
ciis jactatus,

— Ille Iovis monitis immota tenebat
Lumina, & obnixus curam ſub corde premebat.

Deinde etiam precibus & lacrymis iterum cum urgetur,

— Nullis ille movetur
Fletibus, aut ullas voces tractabilis audit:
Fata obſtant, placidaſque viri Deus obſtruit aures.

Poſtremò etiam novis blanditiis uſquequaque petitus,

— Aſſiduis hinc atque hinc vocibus heros
Tunditur, & magno perſentit pectore curas:
Mens immota manet, lachrymæ volvuntur inanes.

Jam igitur libidine contumaciter ſuperata, certus eundi, & ritè ad profe-

ſectionem rebus comparatis, ecce iterum illi in ſomnis Mercurii ſe forma obtulit, ac conſilium ſalutare propoſuit: quod ille arripuit. Mox enim correptus è ſomno, ait:

-- Sequimur te ſancte deorum,
Quiſquis es, imperioque iterum paremus ovantes.

Ita Deus, cum admovere nos cum Mercurio manus videt, tum verò etiam maximè nos ſanos & ſalvos vult ac facit.

Vidit & æquatis claſſem procedere velis.

Contrà verò ſi cum Didone rationem ab alto venientem, ignaviter & ſtultè negligamus (dixerat enim,

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiſcat,
Ante pudor quàm te violem, aut tua jura reſolvam:)

& tum interea vulnus venis alamus,

hoc eſt, libidinem, ſororem unanimem, ab inferis in conſilium vocemus, ejuſque monita

(*Sola ne perpetuo mœrens carpêre juventa,*
Nec dulces natos, Veneris nec præmia noris?)

audiamus: tum verò ſuccumbentes culpæ, ac debiliores adeò facti omnibus circumvolvimur incommodis & malis.

Ille enim *dies primus lethi, primuſque malorum*
Cauſa fuit: neque enim ſpecie famave movetur.

Poſtremo evicti dolore, furias ex maleficio concipimus: ac quod eſt ſcelus omnium extremum & maximum, dementes mori decernimus: hoc eſt, Deum qui in nobis benignus & clemens habitare voluit, nephariè ejicimus, expellimus, excutimus:

Sed moriamur, ait: ſic ſic juvat ire ſub umbras.

Fortis igitur & pii viri exemplo, ingruentium omnium tempeſtatum vim, deorum conſilio & rationis imperio contineamus, ac moderemur: ne ventorum malignitate & ſævitia oppreſſi, unà cum Didone turpiter & miſere perturbationum fluctibus obruamur. Et quoniam quid exigit ratio, ſuprà diximus: omnes quibus intimis in viſceribus alea flagrat, etiam atque etiam moneo, ſemper ut in animo atque ante oculos ferant, ἕπου θεῷ.

De Alea Libri Secundi Finis.

Digitized by Google

INDEX RERUM ET VERBORUM,

Quæ duobus his Libellis continentur.

A.

A Ratione diſcedere, homine indignum 161

ab affectibus detenti, omnes falſa opinantur 181

ab alea natura abhorrentes, ægerrimè ad ludendum perducuntur. 85

actiones hominum, affectib. ferè conſentaneæ ſunt 133

actio omnis à temeritate abeſſe debet 161

ad tranquillitatem animi confert, inferioris ſortis homines reſpicere 197

ad moleſtiam facit, potentiores qui ſunt intueri ibid.

adoleſcentes & indocti quare multa timent, quæ viri jam vel eruditi negligunt 110

ado-

Google

adoleſcentes quid in animum inducere debeant, totum qui animum purgare volunt 192
adoleſcentibus difficile eſt, appetitiones ſedare, & tenere in ſua poteſtate motum animi 200
ægritudinum animi medicina eſt Oratio 145
Aeneas, affectus quomodo evicit 207
Æneas curam ſub corde premebat 210
Æneas Deum ſequitur ibid.
Æneas deorum imperio paret ibid.
Æneas Mercurii monitu attonitus 209
Æneas in omnibus adverſitatibus, Deum ante oculos poſuit 210
Æneas ſibi imperat 209
Æneas ſalvus evaſit 111
affectus animi quid 143
affectus à vi rationis experte proficiſcuntur 84

affe-

affectus animi, qui maximus eſt ſicut corporis doloribus contingit alios omnes occultat 21
affectibus animi victi, quales emittant voces 147
affectus animi, corporis mutationes ad frigus & calidum ſunt 128
affectus animi celerrimè & omnium maxime corpus immutant ibid.
affectus animi qui corpus accendunt, omnes ſtulticiam & furorem generant 156
affectus animi multis ſubitam mortem attulerunt 129
affectus animi ſola cogitatione impelluntur ibid.
affectus animi errore concepti ſublato errore ſimul tolluntur 132
affectus animi à Medicis inter ea quæ naturalia vocant, connumerantur 129
affectus contumaces, ſicut cives ſeditioſi, in officio continendi 206
affe-

affectus contumaces in omnibus hominibus à natura inſiti ſunt 207
affectuum genus duplex 133
affectuum genus rationis particeps cogitationem ſequitur 201
affectuum genus rationis expers 202
affectuum cauſæ quæ 28
affectuum genus rationis expers, unde in natura ſubſiſtat 203
affectus contumaces, quomodo ratio coercet 133
alea quid 11
alea eſt effrenata ludendi in pecuniam cupiditas 5
alea toto ferè vitæ ſpatio affligit 7
alea ab Orat. à Phil. à Poet. negl. 7, 8
alea qui non abutuntur 11
alea non ſola pecuniarum cupiditate, nec præcipuè conſtat 14
alea animi affectio eſt acerrima 16
alea & amor, cupiditate & ſpe conſtant 32
alea ſpe & fiducia, plus quam cupi-

ditate conſtat 32

alea in hominibus, magnis à natura vitioſa incitamentis concitatur 54

alea maximè ab officio & ſtudiis abducit 97

alea patrimonii ſcopulus 99

alea legibus vetita 100

alea in deſperationem homines inducit 109

alea & prodigalitas ſenectute minuuntur, juventute augentur 113

alea ultra mediocritatem conſiſtit 115

alea, ſi avaricia eſſet, nunquam perferre tam ſæpe gravia damna poſſet 114

alea nihil cum mercatura commune habet 174

alea per ſe injuſta eſt: & multo magis, quia omnibus fere ſceleribus implicita eſt 17

alea definitio & explicatio 1

al

aleæ nomina & tituli 160
aleæ tempeſtate multi ſubmerſi 6
aleæ finis duplex 30
aleæ cauſa formalis 32
aleæ cauſa efficiens 34
aleæ vitio inſignes, omnes ferè prodigi 115
aleæ fervor quando reſtinguitur 132
aleam à calidiore corporis temperie naſci, quo argumento potiſſimum probetur 68
aleator nobilis invitè admodum parvo ludit 14
aleator Mediolanenſis quidam, ad ludendum ut ſibi pecuniæ ſuppeterent, cum domum vendere non poſſet, tectum vendidit 18
aleator quidam moriens, teſtamento cavit, ut ex cadaveris ſui oſſibus teſſeræ fierent 25
aleator captans capitur 96

Digitized by Google

aleator omnia præ ludendi voluptate contemnit 96
aleator undique rapit 102
aleator quovis jure quaque injuria colluſores, ſi poſſit, ſpoliet 108
aleator curari qui vult, ſæpe adhibere medicinam debet 188
aleatorem vocari, ad famam ſordidiſſimum 178
aleatores in quovis ludo cupiditatem exercent ſuam 10
aleatores quantumvis male ſæpe accepti, tamen continenter velut ad eundem ſcopulum recurrunt 17
aleatores multi quaſi vi coacti, ita ne cupientes quidem abſtinere poſſunt 22
aleatores multis cupiditatibus impliciti 31
aleatores flagitioſi 119
aleatores in quovis ludo cupiditatem exercent ſuam. 10

alea-

aleatores omni ex re omen capiunt 67
aleatores ipſi ſibi omen fingunt. ibid.
aleatores non conſuetudine modo, ſed multo magis natura tales evaſere 84
aleatores nunquam aliquid quod ſuum ſit habent 95
aleatores fortunam Deum faciunt. 101
aleatores ut transfugæ, maledicta in Deum conferunt ibid.
aleatores ex maledictis voluptatem capiunt ibid.
aleatores omnes, propoſita ignoratione, ſemper quod optimum ſibi ſit, ſi poſſint, jaciant 103
aleatores cupiditate & ſpe tanquam ad interitum ruunt voluntarium 120
aleatores in turpi quæſtu ſunt occupati 121

aleatores ferè omnes, naturali tantum cogitatione impulſi ad ludendum accedunt 151

aleatores, dum ſibi proſint, in alterius ruinis exultant 173

aleatores mutuum ſeſe fortunis ſpoliant ibid.

aleatores quibus ſimiles ſint 174

aleatores in Deum impii 176

aleatores omne ſcelus anhelant, tanquam Deo ultionem parantes ibid.

aleatores, cum turpe deſiderium vexat, quid cogitare debeant. 179

aleatores lucrum quod vocant, uſura eſt fortuna 180

aleatores miſerrimæ cupiditatis ſervi 183

aleatorum vita conditio miſerrima 163

aleatorum in quærenda pecunia diligentia 17

aleatorum poſt inventam pecuniam feſti-

feſtinatio 19
aleatorum moroſitas ibid.
aleatorum temperies qualis 56
aleatorum ingenia varia 56, 64
aleatorum magna varietas unde naſcitur 56
aleatorum quanta ſolicitudo animi ſit 94
aleatorum vicium duplex 39
aleatorum vicia unde naſcantur 140
aleatorum fundus alveolus eſt 173
aleatoribus inter ludendum ſemen emiſſum 16
aleatoribus nihil ad deſiſtendum pejus quàm ſi proſperè ſubinde ludant 75
aleatoribus ſæpe ſemel adhuc tentandum videtur 181
Alexandro magno aviditate nimia exiguus terrarum orbis viſus eſt 189
aliquando qui luſit, iterum ludet 22

alterius incommodo ſuis utilitatibus qui ſtudent, naturam pervertunt. 168
Americam incolentes in ſe ipſos ludunt 57
Amoris cum alea ſimilitudo. 15
Amoris ac ſpei nomina 158
Animantia propria nutrimenta aliquando longo aliorum uſu deſerunt 79
Animus à corpore mutatur 46
Animi ſanitas quid 137
Animi ſummum bonum 138
Animi malum maximum ibid.
Animi tutandi ratio duplex 135
Animi firma inductio totum corpus commovet 127
Animi affectus corporis affectibus vehementiores 158
Animum vel corpus curare qui volunt, prius quæ ſit utriuſque ſanitas, noſſe debent 136
Appetitus ſedare difficile adoleſcentibus

bus 200
Appetitus naturæ lege rationi ſunt ſubjecti 156
ἀπληστία vitium animi peſſimum 199
ἀπληστίαν præcipuè adoleſcentes fugere debent ibid.
Archelaus Macedoniæ rex, ſibi fidens & bene ſperans 52
Ariſtotelis de aleatoribus dicti explicatio 121
Avari ex quovis inſtituto quæſtum arripiunt 10
avaricia perferre gravia damna non poteſt 114
Avaritia infra mediocritatem poſita eſt 115
Avaritiæ finis, pecuniæ poſſeſſio 28
Avarus plus ex damno doloris percipit, quàm voluptatis ex lucro 118
Auguſtus pecuniam convivis ad luden-

ludendum dabat 117

Auguſtus Imp. effusè in ludo liberalis fuit 116

Auguſtus benignitatis gloria claruit 117

avidorum hominum vox 121

avidorum hominum qualis cupiditas & cui ſimilis 198

Authoris inſcribendo animus & conſilium 8. 152

B.

Belga triginta argenteorum nummûm millibus, hora ferè ſpacio aleam luſit 58

Belga parum ad ludendum apti, & quare 59

Belga ingenui & liberales 61

Belgarum natura 59

Bilioſorum natura 46

Bilioſi prudentes 43

Blaſphemia quantum peccatum 100

Bonus ac probus eſſe qui vult, ad

omne

omnem animi moderationem contendere debet 190
Bura comitis mirandum in alea factum 120

C.

CAcodæmon ex alea fructum capit uberrimum 103
Cæſar Auguſta multi, qui valetudinis vitio furunt, morantur 48
Caligula in alea ludo mendacio & periurio utebatur 118
Calor ſecuros homines facit 52
Calor ἐυελπιςίαν generat 36
Calor generoſos arguit 43
Calore nimio in capite exiſtente, mentis alienatio generatur 156
Cardinalis aſtutum in alea factum 103
Caſus & eventus, homines pro mentis ſenſu æſtimant 144
Certum aliquid ex ſorte ſperare, ſtultitia eſt 12

Cha-

Charemonis Græci de vino dictum 63

Chartulæ teſſeræque ſæpe mali dæmonis numine volvuntur 101

Chriſti contra aleatores præcepta 172

Chriſti via ſuavis & levis 194

Ciceronis ingenium 51

Civilis gubernatio quæ 206

Claudius Nero homo prodigus, aleator inſignis fuit 115

Cogitatio duplex 147

Cogitatio erudita 148

Cogitatio naturalis ibid.

Cogitatio naturalis temperiem comitatur ibid.

Cogitatio erudita unde accedat, & quid hominibus præſtet 148

Cogitatio vehemens, ſpiritus qui caloris vehiculum ſunt, variè movere poteſt 126

Cogitatio etiam à mortis metu homines liberare poteſt 131

Cogi-

Cogitatio & animi firma inductio totum corpus commutant 126
Cognita mali cauſa, facilius eſt curationem adhibere 9
confutatio, qua convelluntur qui ludendi cupiditatem avaritiam eſſe ducunt. 113
Conjuncta cum alea vicia quæ 112
Conſuetudo duplex 77
Conſuetudo naturalis ibid.
Conſuetudo adventitia ibid.
Conſuetudo peccandi, maleficii ſuſcipiendi removet dubitationem 18
Conſuetudo naturalis proprietatis ſignum, cauſa nonnunquam 78
Conſuetudo quando altera natura 81
Conſuetudo quantum natura, quantum opinioni momentum conferat 98
Conſuetudo animum opinione informat 92

Conſuetudo facit, ut quamvis grave delictum pro nihilo ducatur 93
Conſuetudinis vis 65
Conſuetudinis minor quàm naturæ vis 77
Conſuetudinis ad virtutem & vitium capiendum promptitudo, quanta ſit latitudine, & quatenus quæque difficulter aut facilè induci poſſit 86
Conſuetudinis quare maximum momentum 91
Conſuetudinem naturalem mutare in quibus valde difficile eſt 88
Contrariæ de moribus ſententiæ quomodo conciliari poſſint 89
Cor affectuum omnium organum & ſubjectum eſt 27
Corporis & animi medicinæ bonæ cum ſunt, continenter adhiberi debent 188
Corporis ſanitas quid 136
Corporis ſummum bonum 138
Cor-

Corporis maximum malum ibid.

Corporis aut animi ſanitatem perfectiſſimam nemo unquam adeptus 137

Corporis aut animi partis affectus quando morbum facere dicantur ibid.

Corpora impura quanto quis nutrit magis, tando lædit magis 189

Corporum diſſimilitudines unde veniant 78

Cupiditas inſatiabilis cui ſimilis 195

Cupiditas & ſpes ſi conjungantur, aleam perficiunt 14

Cupiditatis nomina 158

Cupiditatis malitia quo modò auferenda 196

Cupiditas inſatiabilis, omnium malorum quæ hominum animis adveniunt cauſa eſt 194

Cupiditates inſatiabiles ſunt 182

Cupiditates continentia moderanda 184

Cupiditates omnes extirpandæ 190
Cupiditates expleri nequeunt, quantumvis eis quod appetunt exhibeatur 196
Cupiditates juvenum luxurioſæ 29
Cupiditates ferè mores faciunt 80
Cupiditatum finis expletio eſt & voluptas 28
Cupiditatum cauſæ variæ 28
Curari qui vult, ſæpe adhibere medicinam debet 143

D.

D*Entibus & ſuperciliis luſum* 25
Dido rationis nuncium contemnit 111
Dido ſororem ſequitur ibid.
Dido ſuccumbit culpæ ibid.
Dido furias concipit 112
Dido moritur, & Deum expellit ibid.
Divitiis præſtare fortunæ munus eſt 197

Ebrio-

E.

EBriorum mores varii 63

Exemplum aleatoris, qui acceptas à Regulo precioſas pateras, ornandis amici natalitiis, illas oppigneravit 20

Exemplum miræ aleatorum cupiditatis, in quo alednis vox teſſerarum vice functa eſt 24

Exercitationis vires quæ 88

Exercitatio ludendi quatenus in hominibus aleæ cauſa ſit 90

F.

FEbres diariæ ex perturbationibus natæ, ex pulſu cognoſcuntur 130

Flavius Domitianus largitor & prodigus, frequenter in alea ludebat 117

Formulæ remediorum quibus aleatores curari poſſint duæ 141

Digitized by Google

Formulæ prioris explicatio 153
Formulæ poſterioris explicatio 165
Fortunam ad votum ſibi fingere, fatui eſt 159
Fortunas ſuas ſorti ſubmittere inſania 162
Frigiditas ab alea & ſpe abducit 73
Frigiditate optimè alea cohibetur 74
Furtum cum alea conjunctum 102

G.

Galenus quomodo intelligendus, quandocunque ex moribus hominum, de illorum temperamentis, & contra ex temperamento de moribus judicat 149
Galeni laus, ejuſque de conſuetudine dictum 78
Gallorum in præliis natura 46
Gentium & nationum diverſi mores unde nati 83
Græcorum de aleatoribus proverbium 22

He-

H.

HErilis gubernatio quæ 133
Hiſpani quare ad aleam propenſi 40
Hiſpani melancholici 48
in Hiſpaniis frequens melancholia morbus ibid.
Hiſpani rectè aleatores moinos vocant, & quæ nominis ratio 67
Hiſpani corruptis moribus hominem quare rectè malcriado vocant, & quæ nominis ratio 89
Hiſpani quare aleatorem inſignem tahur vocant, & quæ nominis ratio 102
Hiſpani qua ratione aliquando magnum remigum numerum invenere 58
Hiſpani bis, Belgæ ter quaterve cibum die capiunt, & quare 83
Hiſpanorum ad ludendum proclivitas 23

Hiſpanorum de aleatoribus proverbium 22
Hiſpaniæ locis in omnibus cartulæ luſoriæ vaneunt 40
Hiſpanorum & nigrorum hominum natura & mores 47
Hiſpanorum implacabilis iracundia 84
Hiſpanorum linguæ laus 88
Hiſpanorum Rex Philippus ut donandi voluptate & gaudio perfrui poſſet, in alea luſit 100
homo qui eſt, in multis hallucinatur 137
homo maximè diverſos habitus capere natura poteſt 86
homo naturæ obediens alteri nocere non poteſt 170
homo homini, vel quia homo eſt, conſulere debet 171
honeſtum per ſe appetendum 172
humores peſſimi, peſſimos mores: medii medios generant, & alii pro ratio-

ratione 52

I.

IGnorantia audaces homines facit 13, 158
Ignorantia ſuperbos facit ibid.
Ignoti nulla cupido 90
Impoſtorum in ludendo conſuetudo 75
Incolumem civium conjunctionem qui vult, nunquam ad alterius facultates, jacta ſorte aſpirabit 167
In actionibus quæ cum natura noſtra conveniunt, tantum incrementum facimus, ut renovando quaſi confirmari videamur 80
In bene inſtitutis civitatibus, quod in alea vicit aliquis, reſtituere cogitur 109
Inflati ſua fiducia homines, præcipuè ad ludendum impelluntur 14

Inge-

Ingenioſi plerumque furioſi 43
In Italia maxima malorum licentia eſt In præfat.
In largiorem pecuniam ludere conſueti, ne certo quidem quaſtu in puſillam ludunt. In præfat. *ibid.*
In morbis tam corporis quàm animi, tum demum medicina fieri debet, cum eſt mali cauſa cognita *ibid.*
In pecuniam qui ludunt, in proximos injurioſi ſunt *ibid.*
In voluntate, etiam ſine effectu peccatum eſt 103
Inventionis duo inſtrumenta 1
Ira furor diffinitur 158
Iracundia maximus ad ſubeunda pericula aculeus 65
Itali hominem à communib. moribus valde diſſidentem, rectè humore & humoriſtam ſua lingua vocant 89
Italorum de Gallis proverbium 49
Italorum vitium maximum 93
Jucundè vivere non poteſt, niſi qui ho-

honeſtè vivit 19
Ius omnium gentium & populorum 167
Iuſtitia magis eſt ſecundum naturam quàm vita aut voluptas . 169
Iuvenes εὐέλπιδες 35
Iuvenes minimè pecuniarum avidi 29
Iuvenes pecunias explendis cupiditatibus quærunt 30
Iuvenum calor qualis 35

L.

L*Abor magis eſt ſecundum naturam quàm ocium* 170
Libertas vera quæ,& quanti facienda 199
Libido omnis,ſi potiatur, creſcit, ſi caſtigetur,imbecilla redditur 181
Ludentibus celerrime tempus fluit 24
Ludus quid 159
Ludus quale ſit hominis ingenium arguit 62

Ludus ad paupertatem certiſſima via eſt 98
Luxurioſæ cupiditates in juvenibus maximè ſunt 29

M.

MAli qua concupiſcunt, ad bonos perveniunt 194
Malorum omnium cauſa eſt inſatiabilis cupiditas 194
Medici optimi, in curandis morbis magnam cogitationum ægrorum curam habent 127
Medicinæ corporibus profuturæ contineri ac digeri debent 142
Medicinæ ratione factæ, continenter adhiberi debent, quantumvis illarum utilitas non appareat 143
Mediolanenſis aleatoris factum 18
Melancholia vino ſimilis 44
Melancholia omnes caliditatis & frigiditatis gradus ſuſcipere poteſt ibid.

Me-

Melancholia morbus in Hiſpan. frequens 48
Melancholia temperata, præſtantium virorum temperies eſt 50
Melancholia calidior, confidentes homines facit 51
Melancholici, ſicut ferrum ignitum, calorem habent acriorem 45
Melancholicorum natura & mores 47
Melancholici frigidi quales ſint 49
Melancholici aduſti quales ſint 50
Melancholicos ingenioſos eſſe, quomodo intelligendum 43
Mens concitata inæquales pulſus facit 202
Mens generoſa, faciles motus capit 61
Micare digitis, quid 25
Mixturarum & temperiei modus penitus cognoſci non poteſt 55
Metus refrigerat 71

Modeſtus continentem in quo ſuperat 190
Moino Hiſpanis quid ſignificet 67
Morbis maximis, maxima adhibenda remedia 53
Morborum pars maxima ex ciborum eſu nimio naſcitur 195
Mores corporis temperiem imitantur 46
Mores optimi ex philoſophia adveniunt 149
Mores in hominibus maximè generant calidum & frigidum 68
Mores diverſi gentium & nationum. unde nati 83
Mortem timere quid 130
Multi ex aleatorum largitione divites facti ſunt 13
Multi quod concupivere, vel opus habent, ex ludo affore ſibi promittunt 33
Multi propter aleam ex fortunis ampliſſimis ad inopiam devenere 99

Multi vel domus ſuæ fores pulſari ſi ſentiant, ad bonum nuncium animum præparant 111
Multis tum demum bene eſt, cum ſine pecunia ſunt 163

N.

Natura ſicut ad morbos varios, ita ad vitia varia proclives facit 54
Natura corrupta eſt 131
Natura parvis momentis multa affingit, mutat, detrahit 90
Naturam mutare difficilius quàm conſuetudinem 82
Naturæ inclinationem omnes ſequimur 80
Naturam omnes ſequimur 82
Nemo tam eſt omnibus vitiis involutus, ut non aliquando tacito cogitationis convicio verberetur 208
Nigrorum hominum mores 49
Non poteſt jucunde vivere, niſi qui hone-

honeſtè vivit 193
Noſſe ſe ipſum, eſt difficillimum 6
Noſtra ſorte contenti ut ſimus, in noſtra poteſtate eſt ſitum 197
Nullum crimen majus objici alicui poteſt, quàm ſi aleator vocetur 177

O.

OMnes in cognatos naturæ noſtræ morbos facilè incidimus 38
Omnes cognatas naturæ noſtræ affectiones animi facilè concipimus 39
Oratio flexanima 125
Ovidius amantibus puellis præcipit, ut à ludo ſe abſtineant 62

P.

PArcus homo fortunas ſuas aleæ periculo minimè ſubjicit 117
Peccatum originis 204
Philoſophi, oratores & poetæ, animi

mi & morum magiſtri ſunt 5
Peritia, modeſtos & continentes facit 158
Pietas colenda ei qui ſanus ac liber eſſe cupit 192
Plerique, à multis fieri quod vident, vix in peccato eſſe putant 91
Poëtæ nuſquam avaris aleam tribuunt 120
Primera inter omnes ludos nobiliſſimus 104
Principiis in omni cupiditate obſtandum 185
Prodigi, qui accipiunt à quibus non debent, ut profundant, etiam avari ſunt 119
Prudentia, quia rationis parens, omnium virtutum domina 4
Pudor, moderator cupiditatis eſt 150

Q.

QVare alea, diuturna adeò in hominibus affectio eſt 38
Quare alea & cupiditates cæteræ etiam ex corporis intemperie natæ, adhibitis ad animum remediis curari probè poſſint 125
Quare alea facilè in optimis ingeniis innaſcitur 42
Quare aleatores pueris ſimiles, qui placentam, propter ablatam de ea portiunculam, totam projiciunt 39
Quare alea, quale ſit hominis ingenium arguit 62
Quare aleatores, cum infeliciter ſibi ludus procedit, magis commoventur 65
Quare aleatores inter ludendum difficiles ac mòroſi 66
Quare aleatores Moini ab Hiſpanis vocentur 67

Qu

Quare aleatores facta in alea jactura nunquam ſe deinde luſuros eſſe, tam ſæpe, ſemper autem falſo promittunt 69

Quare aleatores nacti quod in medium conferant, alacres & læti, celeriter ſeſe ad colluſores conferunt 71

Quare aleatores prius quàm ad ludendum accedunt, putant ſe ad fortunæ morem accommodare poſſe 72

Quare ad malum noſtra ſponte proni ſumus ibid.

Quare civitates quæ diverſarum gentium hominibus refertæ, ſunt cæteris magis flagitioſæ 93

Quare affectus animi à medicis inter non naturalia connumerantur 128

Quare alteri ſui commodi cauſa detrahere, contra naturam eſt 165

Quare Hiſpani ad aleam propenſi 40

Quare Itali hominem à communibus moribus alienum, rectè humorem & humoriſtam vocent 89

Quare mulieres ad aleam propenſæ, virile robur præ ſe ferant 42

Quare magni refert, quibus quis à teneris aſſueſcat 88

Quare nationes pleræque ſua quædam communia peccata vix in vitio ponunt 92

Quare ex omnibus animalibus præcipuè hominibus, ſeminis profuſio per ſomnum contingit 126

Quare Ovidius præcipit amantibus puellis, ut ſe à ludo abſtineant. 62

Quare ſpes læticiam generat 155

Qualis pecuniæ cupiditas inſatiabilis talis & honoris, gloriæ & cæterarum appetitionum 198

Qui reparare factum in alea damnum ſtudent, nunquam deſiſtunt 95

Qui ob intemperantiam pecunias profundunt; non prodigi ſed flagitioſi vocandi 119
Qui in caſu præſidium collocat, nihil ille ſtabile habere poteſt 178

R.

R*Atio omnia poteſt* 133
Ratio actionum & affectuum dux eſt 4, 133
Ratio quo in quoque perfectior, ita ille & animo tranquillior, & moribus melior 133
Rationis imperium duplex 206
Ratio perfectior, perfectiorem obedientiam habet 200
Ratio exercitata generoſior evadit ibid.
Ratio, honeſtum, cupiditas, voluptatem appetit 302
Ratione & meditatione aſſidua cupiditates coercendæ 184
Rationis imperium duplex, civitates

Digitized by Google

res & familiæ exprimunt atque imitantur 206

Recordatio unius ſententiæ ſæpe valde ad agendum homines impulit 131

Reparare damnum qui ſtudent in alea nunquam ludere deſiſtunt 95

Res quæque qualis eſt, tale & ejus nomen 160

Res ſuas fortunæ ſubjicere, non avaritiæ ſed confidentiæ ſignum eſt 15

Res omnes appetimus & fugimus, prout illas cogitatione concipimus 144

Regum familiares quàm turpiter in alea ludant 97

Romæ Tavera quidam, cum magnum in alea damnum feciſſet, de ponte in profluentem Tyberim ſe dejecit 110

Sani-

Digitized by Google

S.

Sanitatis tuendæ cognitio prior eſt, quàm reſtituendæ 136
Sapiens omni perturbatione vacat 144
Sapiens uno minor eſt Iove 145
Senatus vetuit in pecuniam ludere In præfat.
Senes juvenibus moderatiores 134
Senis de filio aleatore dictum 95
Senum ludus qualis 114
Senectus avaros homines facit, ideoque avaritia in ſenibus incurabilis 113
Sententiæ, quas ſemper habere ante oculos aleatores decet 186
ſingularum ludus quis 164
Si, ut aleatores affecti animo ſunt, ita omnes ſimus, diſrumpatur hominum ſocietas 165
Socrates naturæ vim virtute oppreſſit 82
Sortis nomina quæ 160

Sorte

Sorte ſua contentus, ſine moleſtia vivit 194
Spei nomina quæ 158
Spes lætitiam generat 154
Spes quomodo in hominibus generatur 155
Spes quibus animi affectibus affinis eſt ibid.
Spes ſummè concupiſcit. timor declinat 15
Spes ex aleatoris animo ſi excutiatur labaſcit 34
Stultum eſt, aliquid ſine cauſa ſibi perſuadere 159
Stulticia aleatorum ſignum manifeſtum 163
Suum cuique incommodum ſine alterius injuria ferendum 168
Suæ quiſque utilitati, ſine alterius injuria ſervire debet ibid.

Tabur

T.

Tabur Hiſpanice quid ſignificat 102
Tavera Hiſpanus, in Tyberim ſe præcipitem dedit 110
Temeritas ſapientiæ contraria 159
Temeritas eſt, ſine ratione aut cauſa aliquid animo concipere ibid.
Timor ex frigore naſcitur 41
Timor refrigeratio quædam eſt 42
Timor degeneres arguit 43
Timor triſtes facit 154
Timor majus quàm ſpes vitium ibid.
Timor quomodo in hominibus generatur 155
Timoris ſigna magis ſunt conſpicua, quàm ſpei 154
Triſticia maximè corporis habitum refrigerat 70
Turpitudo ubi eſt, ibi utilitas eſſe non poteſt 172

V.

Valetudo optima quibus contingit 137

Venetus in uxorem ſuam luſit 25

Ventura Beltran in Hiſpaniis aleator nobilis 110

Vergilii carminum nova interpretatio 23

Verecundia duplex 150

Verecundia in ſene vituperanda ibid.

Vini effectus qui 37

Vinum bene ſperare facit 35

Vinum & calor deſipere faciunt 35

Vinum, voluptas & lætitia aleam fovent 74

Vinum quales homines facit, tales alii à natura 38

Vini menſura quæ, & quale vinum ſperare homines facit 36

Vitia animorum niſi nota prius, rectè curari non poſſunt 6

Vitia cum alea conjuncta 121

Vita

Vita cuique potius amittenda, quàm injuſtè quid faciendum 189
Vnde ſit ut quod cupimus, id ſperemus, & contrà 155
Voluntas à ratione regitur 4
Voluntas quomodo contumacibus affectibus imperat 205
Voluptas honeſto paratur 193
Vſus robur addit, ocium diſſolvit 90
Vſus, philoſophia & magiſtri, quando & quomodo naturalem propenſionem mutant 81
Vtile nil, niſi honeſtum 172
Vt ſegetes, ita animi, pro cultura modo luxuriant 87
Vt corpus, ita animus, actiones natura ſua parum convenientes reſpuit. 85

FINIS.

26555

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google